

Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Tractatvs Decimvs Qvartvs. De Opere sex dierum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](#)

QVÆSTIONVM THEOLOGICARVM

In primam partem S. Thomæ.

LIBER QVARTVS:

Continens Tractatus de Opere sex dierum, de Anima,
ac de formatione primorum hominum, eo-
rumque statu innocentiae.



VIA creaturæ diuiduntur in spirituales, & corporales, Sanctus Thomas postquam à quest. 44. usque ad 64. inclusuè egit de creatione in genere, ac de creaturis spiritualibus, hoc est de Angelis, à questione 65. usque ad 119. quæ est ultima primæ partis, disputat de creaturis corporeis, ac præsertim de homine. Et quia creaturæ corporeæ sunt à Deo creatæ, formatae, & ordinatae per opera sex dierum, ideo à questione 65. usque ad 74. decem questionibus disputat de opere sex dierum. Descendit deinde ad agendum de homine: & quia homo constat ex anima rationali, & corpore, ideo à questione 75. usque ad 90. questionibus sexdecim disputat de anima præsertim rationali. A questione 91. usque ad 102. agit de formatione primorum hominum secundum corpus, ac de statu innocentiae. Absoluto tractatu de creatione, ac distinctione rerum, descendit S. Thomas ad agendum de gubernatione, & eius effectibus, qui sunt rerum conservatio, carundem mutatio à Deo, ac mutatio unius creaturæ ab alia, ac de gubernatione, ac de his tribus effectibus gubernationis disputat à questione 103. usque ad 119. & ultimam. Nos igitur doctrinam de opere sex dierum trademus hoc tractatu 14. tractatu 15. agemus de Anima, tractatu 16. disputabimus de formatione primorum hominum, eorumque statu innocentiae, ac de munus tractatu 17. agemus de gubernatione, ac tribus eius effectibus. Titulos questionum ostendet index initio positus.

TRACTATVS XIV.

De opere sex dierum

QVAESTIO CCXI.

Vtrum creatura corporalis sit à Deo, ab eoque per se facta fuerit propter suam bonitatem.

S. Thom. quest. 65. art. 1. 2. 3. q̄d 4.



I. IDETVR creatura corporalis, ac visibilis non fuisse producta à Deo summè bono, sed à principio malo, vt docuerunt Manichei: primo quia Ecclesiastis 3. dicitur: *Didici, quod omnia opera, qua fecit Deus, perseverent in perpetuum;* & Gen. 1. dicitur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona;* sed creatura corporea, & visibilis non perseverat in perpetuum, siquidem vt dicitur 2. ad Corinth. 4. *Qua videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, aeterna;* tursus creatura corporea non est valde bona, immo multa corpora, puta serpentes, venena &c. sunt mala, & nociva: ergo creatura corporea, & visibilis non est à Deo summè bono, sed à principio malo, hoc est à Diabolo, qui idcirco 2. ad Corinth. 4. vocatur *Deus huius sæculi.*

2. Secundo quæ sunt à Deo, tanquam à primo principio conducunt hominem ad Deum ultimum finem, & non retrahunt à Deo: sed creatura corporea, & visibilis retrahit hominem à Deo, ideoque Apost. 2. ad

III.

Cor-

Corinth. 3. dicit, non contemplantibus nobis quævidetur, ne ab eorum contemplatione tetrahicetur a Deo; ergo.

3. Tertio videtur saltēm creatura corporea, & visibilis non fuisse producta a Deo per se, & ex prima intentione, sed ad poenam creature spiritualis peccantis, ut docuit Origenes. Injustia enim diuina non dat inæqua-
lia, nisi inæqualibus; sed creatura corporeæ sunt in perfectione inæquales, & inferiores creaturis spiritualibus; ergo Deus ab initio creavit solas creaturas ~~spirituales~~ æquales in perfectione; & quia plures ex illis per liberum arbitrium inæqualiter peccarunt, creavit inæqualia corpora, quibus creaturas spirituales veluti diuersis carceribus alligaret, iuxta proportionem peccati, quod commiserant.

4. Quarto videtur creatura corporea pro-
ducta fuisse a Deo, mediantibus Angelis. Ut enim dicit Aristoteles 1. Metaphys. cap. 2. Sa-
piens est ordinare; sed diuina sapientia guber-
nat inferiora per superiora quodam ordine, ut dicit Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. er-
go proportionaliter naturam corpoream, quæ est inferior, produxit per Angelos, qui sunt superiores in natura.

5. Quinto idem semper facit idem: ergo si Deus corpora produxisset per se, & non per Angelos, corpora non different inter se.

6. Sexto videntur saltēm formæ corpora-
les procedere ab Angelis, qui sunt formæ spi-
rituales. Spirituales enim substantiae sunt per-
fectiores, & habent maiorem virtutem causandi,
quam corpora cœlestia; sed corpora cœ-
lestia causant formas corporum inferiorum;
ideoque dicuntur causare generationes, &
corruptiones; ergo Angeli, qui sunt substan-
tiae spirituales, causant formas corporum in-
teriorum.

7. Respondeo, quod Sanctus Thomas quæst. 65. descendit ad agendum de creatione creaturatum corporalium, ac de ipsis corpo-
ribus creatis, & ordinatis a Deo per opera sex-
dierum, ut refertur initio Geneseos. Quæstiōne ergo 65. reiecit quatuor præcipios er-
rores hæreticorum circa creationem, & for-
mationem corporum: Quæstiōne 66. exami-
nat opiniones Patrum, & Philosophorū circa
creationem materiae informis, cœli empy-
rei, & temporis: Quæstiōne 67. & sequenti-
bus usque ad 74. agit de singulis sex diebus, ac
de operibus in ijs factis, nec non de septima-
die, qua Deus quieuit ab omni opere, quod
patrarat.

8. Circa creationem igitur corporum
quætor sunt præcipui errores. Primus est
Manichæorum, qui vt dictum est quæst. 111.
num. 15. docuerunt dari duo prima principia
improducta, alterum summè bonum, hoc est
Deum, alterum malum, ac non Deum bonum,
sed principium malum creasse mundum
hunc corporatum, ac visibile, ideoque ab Apo-
stolo 2. ad Corint. 4. vocari Deum huius saeculi.

9. Secundus error est Origenis, qui vt di-
ctum est quæst. 111. num. 9. lib. 1. Periarchon
cap. 7. & 8. docuit creaturam corporalem
creatam quidem fuisse a Deo summè bono,
sed non ex prima intentione, sed in poenam
creature spiritualis, quæ peccauerat. Existi-
mauit igitur Deum ab initio creasse solas crea-
turæ spirituales, quarum aliquæ per liberum
arbitrium se conuerterunt ad Deum, & in
sua simplicitate remanentes, pro diuersitate
meritorum promota sunt ad diuersos ordines
Angelorum: alia auersæ sunt a Deo, & pec-
carunt, quedam magis, quedam minus, &
in poenam alligata sunt varijs corporibus,
tanquam carceribus pro diuersitate peccati,
& hanc fuisse causam, propter quam Deus
creavit varia genera corporum, vt qualibet
creatura haberet carcerem suo peccato pro-
portionatum.

10. Tertius error est Platonis in Timæo,
Avicennæ, & plurium veterum hæretico-
rum, qui vt dictum est quæstione 111. num. 7.
docuerunt a Deo productam esse solùm pri-
mam creaturam spiritualem, hoc est primam
Intelligentiam, a qua producta sit secunda
Intelligentia, & sic gradatim usque ad ultimam
creaturam spiritualem, sive ultimam
Intelligentiam, quæ produxerit creaturas cor-
poreas, ac prouide mundum corporeum,
productum fuisse immediate ab Intelligentijs,
sive Angelis.

11. Quartus error est eorum, qui dixerunt
omnes formas, quæ sunt in materia, deriuari
a formis separatis a materia. Et quidem Pla-
to docuit præter singula in materia existen-
tia dari vniuersalia, hoc est species, & genera
extra materiam existentia, quæ vocabat ideas,
a quibus deriuuntur formæ in materia exi-
stentes per modum cuiusdam participationis.
Existimauit igitur præter singularis homines singulares,
& materiales in materia existentes dari per se
hominem separatum a materia, per cuius par-
ticipationem, & impressionem formentur ho-
mines in materia, eo pacto, quo per impres-
sionem sigilli formatur eius imago, ac relin-
quitur in cera. Proportionaliter censuit præ-
ter equos singulares in materia existentes dari
per se equum separatum a materia, per cuius
impressionem formentur equi singulares:
præter animalia singulæ dari per se ani-
mal, per cuius impressionem formentur omnia
animalia: præter viuentia singulæ dari
per se viuens, & per se vitam, per cuius im-
pressionem formentur omnia viuentia: præter
entia singulæ dari per se ens, seu ipsum esse,
per cuius impressionem existant, & formen-
tur omnia entia.

12. Auctiōnas autem existimauit formas
rerum corporalium separatas a materia non
per se subsistere, sed solùm existere inten-
tionaliter in intellectu Intelligentiarum separa-
tarum, quas nos vocamus Angelos, ac pro-
videt ab Angelis, sive Intelligentijs habenti-
bus in suo intellectu ideas corporum proce-
dere,

dere, & formari corpora naturalia, non alter, ac artificialia formantur ab artifice secundum ideam, quam habet in intellectu. Iuxta principia Auctiennæ quidam moderni hæretici, quos tacito nomine Sanctus Thomas refert art. 4. quæst. 65. docuerunt Deum esse creatorem omnium rerum, etiam materiae, sed materiam à Deo creatam, à Diabolo fuisse formatam, & per varias species distinctionem iuxta ideam, quam habuit in mente.

13. Contra hos quatuor errores Sanctus Thomas quatuor articulis quæstionis 65. ponit quatuor conclusiones. Prima conclusio est: non solum omnes creature spirituales, & inuisibilis, sed etiam omnes corporeæ, & visibiles factæ sunt à Deo. Conclusio est de fide. Nam in symbolo Constantinopolitano credimus in Deum factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium: ac verba illæ visibilium omnium, & inuisibilium, quæ non habentur in symbolo Apostolorum, addita sunt contra Manichæos. In Concilio Lateranensi etiam sub Innocentio III. & refertur cap. Firmiter de summa Trinitate in confessione fidei de Deo dicitur: quod utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam.

14. Probatur primò ex manifestis testimonijs Scripturæ. Nam Gen. 1. habetur: In principio creauit Deus cœlum, & terram, ac reconsentur multa alia corpora à Deo facta, ideoque Hieronymus epist. 139. quæ est ad Cyprianum, censet rerum solum corporalium, & visibilium productionem eo loco commemorat à Moysi. Psalm. 101. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. 2. Machab. 7. Mater Machabæorum filios alloquens dicit. Peto nate, ut aspicias ad cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Quia vero Manichæi afferebant auctorem veteris Testamenti fuisse Deum malum, ac proinde solum de Deo malo intelligenda loca veteris Testamenti, quibus Deus dicitur creasse cœlum, & terram, & alia visibilia, hoc idem probari potest clarissimis testimonijs Testamenti noui. Nam Ioan. 1. de Verbo Dei dicitur: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Paulus ad Heb. 1. affert illud Psalmi 101. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Apocal. 10. Angelus inrat per viventem in seculorum, qui creauit cœlum, & omnia, quæ in eo sunt, & terram, & ea, quæ in ea sunt, & mare, & ea, quæ in eo sunt.

15. Addit Suanus lib. 1. de opere sex dictum, cap. 1. ex his locis probari etiam Deum creasse mundum hunc visibilem per veram, & propriam creationem, hoc est effectiōnem ex nihilo. Confirmat ex Patribus, qui verba illa: In principio creauit Deus cœlum, & terram intellexerunt de vera, & propria creatione. Cyrillus lib. 5. Thesauri, cap. 4. dicit: Quando nondum producta creari dicuntur, necessariò de ni-

hilo ad esse procedere intelliguntur. Idem docet lib. 1. in Genesim initio, cum Chrysostomo ibidem Homil. 2. Athanasius etiam de Incarnatione. Verbi initio dicit: Ex nihilo, ac prorsus nunquam extantibus Deum Patrem per Verbum suum revum uniuersitatem fecisse agnoscit, cum ad istum modum loquitur per Verbum suum: in principio creauit Deus &c. Et Epist. quod Nicenæus Synodus &c. dicit. Itane Deus condit ut homo? Absit. Deus enim creat, cum vocat ea, quæ non sunt sine ullius rei, aut ope, aut opera.

16. Probatur secundo ratione. Nam ex dictis quæstionis 118. creare est ita proprium Dei, siue entis à se, ut nulla creatura possit eleuari ad creandum; sed ex dictis q. 17. vnum tantum datur ens à se, & vnum tantum Deus; ergo vnum tantum Deus potest creare; sed corpora productione prima, qua producatur etiam materia, non possunt produci, nisi per creationem, qua sicut ex nihilo, & non edificantur ex subiecto præexistente: nam materia cum non sit in subiecto, non potest educi ex potentia subiecti; ergo corpora in prima productione fuerunt creata à Deo, nec potuerunt produci ab illa creatura, nec à principio malo improductum, cum vnicum tantum sit ens improductum, Deus nimis summè bonus.

17. Probatur tertio ratione, quam affert Sanctus Thomas hoc art. 1. quæst. 65. quam sic explicat. Omnia, quæ conueniunt in aliquo, in eoque sunt vnum, illud, in quo vniuersitatem debent tandem accipere ab una causa, unoque principio: nam diuersa non faciunt vnum, sed diuersa; sed omnia entia spiritualia, & corporea, visibilia, & inuisibilia, quantumlibet diuersa, conueniunt in esse, & in hoc, quod sunt: ergo debent accipere esse ab uno principio essendi. Maior & videtur ex se latius constare, & probatur ad hominem ex principiis Manichæorum. Nam idèo per ipsos omnia mala procedunt ab uno primo principio malo, quia conueniunt, & sunt vnum in ratione mali; sed omnia entia bona, & mala, corporea, & spiritualia, visibilia, & inuisibilia conueniunt in ratione entis, & in hoc, quod habent esse: ergo debent produci, & habere esse ab uno primo principio, quod est Deus summè bonus. Videri possunt quæ dicta sunt quæst. 111. & 116. vbi ostensum est non dari vnum primum principium malum, quod sit causa omnis mali.

18. Secunda conclusio, quam contra Origensem, eiusque sectatores ponit Sanctus Thomas art. 2. quæst. 65. est: Deus non ex sola occasione peccati, & in poenam creaturarum spiritualium, quæ peccarunt, sed per se ex primaria sua intentione hunc mundum visibilem creauit propter suam bonitatem, ut illum per varios gradus creaturarum diffundaret.

19. Probatur primo: nam illa opinio Origensis supponit animas hominum peccasse, antequam corporibus vniuersitatem: sed hoc repu-

gnat Scripturæ: ergo. Probatur minor, afferendo aliqua loca Scripturæ. Ioann.9. interrogantibus: *Rabbi quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut hic cœcus nascetur?* Respondit Iesus, neque hic peccavit, neque parentes eius, sed ut manifestent opera Dei in illo; ergo anima cœcata non detrusa fuerat in corpus cœcum in poenam peccati, quod commisisset, antequam corpori vniuersetur. Ad Roman. 9. Apostolus de Esau, & Iacob dicit: *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali: ergo animæ illorum, antequam corpori vniuerentur, nihil boni egerant, aut mali.* 2 ad Corinth.5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum: ergo animæ hominum, antequam corpori vniuantur, nihil gesserunt boni, vel mali, de quo debeant rationem reddere.* Ideò opinio ista cum alijs erroribus Origenis damnata est in quinta Synodo generali, & in 6. Synodo act.11. dum approbata, est epistola Sophronij, ac recensetur inter haereses ab Epiphan. Haeresi 64. initio, & ab Augustino lib. de haeresibus, haeresi 43. Ex professio autem illam impugnat Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap.23. Nyssenus lib. 2. Opificio hominis, cap. 28. & 29. Cyrillus Alexan- drinus lib.1. in Ioann. cap.9. & alij.

20. Secundo illa opinio Origenis supponit animas hominum creatas sive eiusdem speciei cum Angelis, ac illis æquales, quod repugnat non solum fidei, sed etiam rectæ philosophia.

21. Tertio Scriptura satis expressè docet creaturas corporeas creatas esse, non ut creatura spiritualis puniatur, sed quia erant bona, & utiles ad alias fines. Gen. enim 1. narrata, creatione cuiuslibet generis creaturarum corporearum, subiungitur: *& vidit Deus, quod esset bonum: quasi diceret, verba sunt Sancti Thomæ, quod unumquodque ideò factum est, quia bonus est illud esse;* & concludit Scriptura: *Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Ibidem dicitur: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram,* Deuteronom. 4. de cœlo, Sole, & astris dicitur: *Quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Isa.45. *Ipsæ Deus formans terram, & faciens eam, non in vanum creauit eam, sed ut inhabitaretur, formauit eam.* Constat etiam ex Scriptura Deum creasse omnia propter suam bonitatem manifestandam. Nam Proverbi.6. dicitur: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus;* & ad Coloss.1. *In ipso, & per ipsum condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia;* ergo corpora non sunt creata solum occasionaliter ad puniendo spiritus, qui peccarant, antequam corporibus vniuer- tur.

22. Quarto reicit Sanctus Thomas illam opinionem Origenis ab absurdo. Ut enim arguit Augustinus lib.11. de Ciuitat. cap.23.

Quid statius dici potest, quam istum Solem, ut in uno mundo unus esset, non decori pulchritudinis, vel saluti rerum corporalium consuluisse artificem Deum, sed hoc potius evenisse, quia una anima sic peccauerat, ut tali corpore mereretur includi? Ac per hoc si contigisset, ut non una, sed duas, sed decem, vel centum similius, aequaliterque peccassent, centum Soles haberet hic mundus, quod ut non fieret, non opificis prouisione mirabili ad rerum corporalium salutem, decorumque consultum est, sed contigit potius tanta unius anima progressione peccantis, ut sola tale corpus mereretur. Ex proportionali ratione si plures animæ sic peccassent, essent in mundo plures Lunaæ &c.

23. Concludit Sanctus Thomas, quod totum vniuersum cum singulis suis partibus etiam spiritualibus ordinatur ad Deum sicut in finem, in quantum in eis per quandam imitationem diuina bonitas representatur ad gloriam Dei. Probat, explicando, quo pacto assignetur finis totius hominis, & partium eius, qui homo dicitur microcosmus, hoc est mundus parvus, & inferendo, quod proportionaliter debet assignari finis totius vniuersi, & partium eius, quod vniuersum dicitur macrocosmus, hoc est mundus Magnus. Primo igitur vnaquaque pars hominis habet pro fine suum actum, puta finis oculi est actus videndi, finis auris est actus audiendi. Secundò pars ignobilior est propter nobiliorum, puta sensus est propter intellectum, pulmones sunt propter cor, palpebrae propter oculum. Tertio omnes partes sunt propter perfectionem totius, puta omnes partes hominis sunt propter perfectionem totius hominis. Quarto totus homo est propter finem extrinsecum, nimirum ut fruatur Deo summo bono. Proportionaliter in vniuerso primò quilibet pars etiam corpora habet pro fine proprium actum, & perfectionem. Secundo creaturæ ignobiliores sunt propter nobiliores, puta creaturæ inferiores homine sunt propter hominem. Tertio singulæ creaturæ, ac singulæ partes vniuersi sunt propter perfectionem vniuersi. Quarto totum vniuersum cum suis partibus ordinatur ad Deum, tanquam ad finem extrinsecum, in quantum in vniuerso, & singulis eius partibus per quandam imitationem diuina bonitas representatur. Addit, quod creaturæ rationales aliquo speciali modo habent pro fine Deum ut cognoscendum, & amandum.

24. Opponi potest pro errore Origenis. Ecclesiastici 39. dicitur: *Ignis, grando, famæ, & mors omnia hac ad vindictam creatæ sunt: bestiarum dentes, scorpiones, & serpentes, & romphaea in exterminium impiorum.* Ignis inferni dicitur paras Diabolo, & Angelis eius: ergo possumus dicere omnia corpora creatæ esse ad supplicium spirituum.

25. Respondeo, negando consequentiam. Primo licet transmittamus hac condita esse ad impios puniendos, non sequitur omnia corpora creata esse ad puniendo spiritus, cum manifestè constet cœlum, terram, mare, Sol, lumen,

lem; stellas &c. ex primaria intentione condita fuisse ad perfectionem vniuersi. Secundo illa ipsa corpora, quæ in auctoritatibus allatis recensentur, ex primaria intentione condita sunt ad perfectionem vniuersi, & in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum. Sed quia Deus videt multos peccatores, ex secundaria intentione creata sunt etiam, vt Deus posset illis uti ad puniendos impios, & reprobos, quibus ex ipsorum culpa ipsa bona cooperantur in malum. Ideo in Ecclesiastico cap. 39. post verba in obiectione relata, subditur: *Bona bonis creata sunt ab initio; sic nequissimis bona, & mala. Initium necessaria rei vite hominum, aqua, ignis, & ferum, sal, lac, panis similicetus, & mel, & botrus vvae, & oleum, & vestimentum. Hæc omnia sanctis in bona, sic & impijs in mala converterentur.* Addo, quod ipse infernus, cuiusque ignis creatus est propter perfectionem vniuersi, ad quam spectat, vt deitur etiam cancer destinatus poenæ eorum, qui peccarint, eo pacto, quo ad perfectionem ciuitatum spectat etiam cancer. Sicut autem ex eo, quod in ciuitate detur cancer, ineptè argueretur, quod omnia ædificia sunt carcères, sic ex eo, quod infernus sit cancer paratus impijs, ineptè arguitur omnia corpora mundi, etiam Solem, Lunam &c. esse carcères paratos spiritibus, qui peccarant. Præterea infernus primò, & per se conditus est propter bonum electorum, vt videlicet etiam metu poenæ abstineant à peccatis, & beatitudinem consequantur.

26. Tertia conclusio, quam contra Platonem, Auicennam, ac plures veteres hæreticos relatos nu. 7. ponit Sanctus Thomas art. 3. est: Omnia entia, & omnia corpora, prima productione, qua producta est etiam prima materia, producta sunt immediatè a solo Deo, ac proinde falsum est, quod Deus immediatè produxerit solam primam Intelligentiam, quæ produxerit secundam vñque ad ultimam Intelligentiam, quæ produxerit mundum corporum.

Probatur primò ex Scriptura, & Patribus allatis num. 11. quibus addi potest locus Iñai. 41. vbi Deus de se ipso dicit: *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlum solus, stabiliens terram, & nullus tecum.*

27. Probatur secundo ratione. Nam corpora productione prima non transmutativa producuntur simul cum materia prima, ac proinde ex nihilo, & nullo subiecto presupposito, & sic propriè creaturæ: sed creare ex nihilo, nullo subiecto presupposito, est ita proprium Dei, vt non possit conuenire vñli creaturæ, vt dictum est quæst. 18. ergo.

28. Quarta conclusio, quam Sanctus Thomas art. 4. ponit contra eos, qui dixerunt omnes formas, quæ sunt in materia, derivari à formis separatis à materia, nimirū ab ideis, vel Intelligentijs, siue Angelis, vt explicatum est num. 8. & 9. est: *formæ rerum corporarum non procedunt ab ideis, nec ab*

Intelligentijs, sed educuntur ex potentia materia ab agentibus naturalibus producentibus composita, ex quibus constant.

Probatur: nam generantur res singulares, puta generatur equus singularis, ignis singularis: sed simile generatur à suo simili; ergo equus singularis non generatur ab equo vniuersali, & separato à materia, qui valde est dissimilis equo genito, sed ab alio equo singulari, qui est simillimus genito, ac per generationem forma equi educitur ex potentia materia, ac sola anima rationalis creaturæ à Deo, vt dictum est quæst. 33. de anima. Eadem ratione probatur cæteras formas materialis non procedere ab Intelligentijs, siue Angelis, sed ab agentibus naturalibus, & corporis, à quibus producuntur corpora, formas educi ex potentia materiæ. Videri possunt, quæ dixi in Philosophia in lib. de generat. quæstion. 18. in resp. ad 3.

29. Addit Sanctus Thomas primò, quod quia corpora mouentur à substantia spirituali creata, nimirū ab Angelis, vt Augustinus dicit lib. 3. de Trinit. cap. 4. Angeli in quantum per motum localem præfertim corporum cœlestium applicant corpora, concurrunt ad generationes corporum inferiorum, & ad formas ex materia educandas, non per immediatum influxum, sed per motum localem applicatiuum corporum immediate influentum.

30. Addit secundo, quod etiam species intentionales intellectus Angelici, quæ sunt quædam semifinales rationes formarum corporarum, reducuntur ad Deum, tanquam ad primam causam, siquidem vt cum eodem Sancto Thoma quæst. 55. art. 2. diximus quæstion. 150. Angeli species intentionales accipiunt immediatè a Deo.

31. Addit tertio, quod quia in prima productione corporum materia non fuit transmutata ex potentia in actum, formæ fuerunt immediatè productæ a Deo, cui soli ad nutum obedit materia corporalis, tanquam propriæ causæ. Vnde ad hoc significandum Moses singulis operibus præmitit, fiat hoc, vel illud: *in quo significatur formatio rerum per Verbum Dei facta, à quo secundum Augustinum tract. 1. in Ioannem post medium, est omnis forma, & compago, & concordia partium.*

32. Ad 1. Ecclesiast. 3. dum dicitur: *Didici, quod omnia, quæ Deus fecit, permanent in eternum, significatur, quod permanent in æternum saltē secundum materiam, quia creaturæ etiam corruptibles nunquam redigentur in nihil, sed saltē remanebunt secundum materiam.* Addo: creaturas tanto magis esse immobiles, & perpetuas, quanto magis propinquæ sunt Deo, qui est omnino immobilitis, & perpetuus. Creaturæ igitur corruptibles sunt perpetuæ secundum materiam, sed mutantur secundum formas substanciales. Creaturæ incorruptibles sunt immobiles secundum locum, vt corpora cœlestia, vel secundum

dum

dum affectiones, ut Angeli. Apostolus dicens: *Quae videntur temporalia sunt, quae autem non videntur, eterna, loquitur de praemis, ac significat praemia visibilia esse temporalia, inuisibilia autem fore eterna, ideoque loquens de praemio inuisibili dixerat: eternum gloria pondus operatur in nobis.* Verificatur tamen, quod omnia visibilia sunt temporalia, quia omnis creatura visibilis subiacet temporis, vel secundum esse, vel secundum motum. Idem Apostolus 2.ad Corinth.4. Diabolum vocans *Deum huius saeculi*, loquitur in eo sensu, in quo ad Philipp.3. dicit: *Quorum Deus venter est.* Sicut ergo hoc dicens, non significauit ventrem esse creatorem illorum, sed solum significauit illos seruire ventri, sic diabolum vocans *Deum huius saeculi*, significauit solum saeculariter viventes seruire diabolo, non autem significauit diabolum creasse hoc saeculum, ac corpora visibilia. Demum creatura corporea est bona, sed quia non est bonum vniuersale continens omnia bona, sed est bonum particulare, & contractum, vna creatura bona potest esse contraria alteri creaturae bonae, illaque nocere; sed omnia bona etiam particularia, & contracta debent esse a summo bono: ergo omnis creatura debet esse a Deo, ac non a Diabolo.

33. Ad 2. distinguo maiorem, quae sunt a Deo, dicunt per se ad Deum, ac per se non retrahunt a Deo, concedo: quae sunt a Deo per se conducunt ad Deum, ac per accidens ex abuso peccantium non possunt a Deo retrahere, nego: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Creaturae corporeæ inuitiles per se conducunt ad Deum iuxta illud ad Rom.1. *Inuisibilia mundi per ea, quae sola sunt, intellexisti conspicuuntur.* At ex culpotum, qui insipienter eis vntuntur, possunt per accidens retrahere a Deo: ideoque Sap.14. dicitur: *Creatura facta sunt in misericordiam pedibus insipientium.* Quia vero per accidens insipientes a Deo abducunt per aliquod bonum in ipsius existens, quod bonum debent habere a summo bono, hoc ipsum ostendit creaturas, quae per accidens abducunt insipientes a Deo, esse a Deo.

34. Ad 3. ex eo, quod inaequalitas rerum non possit esse a Deo, responsum est quæsitione 121. num.21. in respons. ad 4. ac nu.16. ostensum est distinctionem, & inaequalitatem rerum, cum spectet ad perfectionem, & pulchritudinem vniuersi, procedere per se a Deo, tanquam a prima causa. Nihil igitur est hoc loco addendum.

35. Ad 4. concedo maiorem, & minorem, ac nego consequentiam. Licet diuina sapientia creaturas inferiores gubernet per superiores, tamen illas non creat per superiores, quia creare est proprium Dei, ac non potest convenire vili creaturae, ut dictum est num.26. & magis ex professo quæst. 118. Quia vero sapientis est ordinare, Deus, qui est sapientissimus, creaturas ordinavit, instituendo diversos gradus creaturarum,

36. Ad 5. distinguo antecedens: idem semper facit idem, dum operatur per modum naturæ determinata ad unum, concedo: dum operatur per modum artis ex idea plurium, nego antecedens, & consequentiam. Deus licet sit unus, nihilominus operatur ex perfectissima idea omnium creabilium, ideoque potest producere plura, & infinita, prout voluerit.

37. Ad 6. concedo maiorem, & minorem, ac nego consequentiam. Quia Angeli sunt perfectiores corporibus coelestibus, ideo causant formas corporum inferiorum modo perfectiori, mouendo nimirum, & applicando corpora coelestia, & inferiora, ut etiam explicatum est quæst. 203. num. 12.

QVÆSTIO CCXII.

Vtrum informitas materia tempore praecesseris formationem ipsius, & utrum una sit materia informis omnium corporum?

S. Th. qu.66. art. 1. 2.

1. **P**rimò videtur informitas materiæ tempore praecessisse formationem, ita ut materia in primo instanti creationis caruerit omni forma substantiali, deinde formata fuerit varijs formis substantialibus. Gen. enim 1. dicitur: *terra erat inanis, & vacua, sive inuisibilis, & incomposita; sed illa inanitas, & vacuitas significat carentiam omnis forma substantialis, ut docet Augustinus lib. 12. confess. cap. 12. & lib. 2. de Genes. ad litt. cap. 11. ergo.*

2. Secundò natura imitatur Deum; sed cum natura format materiam, formationem præcedit informitas, seu priuatio formæ in materia: ergo,

3. Respondeo, quod quia Genes. 1. narratur Deus in principio creasse celum, & terram, deinde sex diebus distinxisse, & ornasse, ideo Sanctus Thomas postquam quæst. 65. egit de rerum creatione, & reiecit errores Philosophorum, quæst. 66. descendit ad agendum de creatarum rerum distinctione, & ornatu, & examinat opiniones Patrum. Et quia materia corporalis distinguitur, & ornatur per formam, articulo primo quærit, utrum, & in quo sensu materia prima prius tempore fuerit informis, deinde fuerit formata, ac sic distincta, & ornata per formam.

4. Docet ergo primo, quod circa hoc punctum diuersæ videntur fuisse opiniones Patrum. Augustinus enim lib. 1. de Genes. ad litt. cap. 15. docuit informitatem materiæ praecessisse formationem eiusdem origine solum, & natura, non autem tempore. At Basilus Homil. 2. in Hexameron, Chrysost. Homil. 2. in Genes. & Ambrosius lib. 1. in Hexam. cap. 8. docent informitatem materia non solum ori-

origine, ac natura, sed etiam tempore præcessisse formationem eiusdem, ita ut materia creata fuerit informis, ac post instans creationis fuerit formata.

5. Docet secundo informitatem materiæ posse duplicitate sumi. Primo informitas materia potest sumi pro carentia omnis formæ, & si sicutum, vt eam sumpsit Augustinus, informitas materia non præcessit, nec potuit tempore præcedere eius formationem, ac proinde vera est Augustini sententia. Probat autem S. Thomas, ex eo, quod materia sit pura potentia, & sit actu per formam, vt nos cum eodem Sancto Doctore diximus quæst. 7. physicæ: sed creationis terminus est actus, & existentia rei, ac proinde res per creationem accipit esse actu: ergo si materia creata fuisset spoliata omni forma, fuisset actu sine actu, quod implicat. Si vero dicatur, quod creata fuerit cum forma communione corporitatis, ac deinde acceperit alias formas corporeitatis superadditas, sequeretur, quod alias formæ ut potes supponentes primam formam, essent accidentiales, ac proinde non daretur alia generatio, quam accidentialis, vt docuerunt quidam antiqui Philosophi. Addo, quod si cum sententia Scotti, & aliorum asseratur materiam habere propriam existentiam, ac saltèm supernaturaliter potuisse creari spoliata omni forma substantiali, nihilominus cum non possit naturaliter existere spoliata omni forma substantiali, dicendum, quod Deus creando naturam, non operatus est contra naturam, ac proinde non creauit materiam spoliatam omni forma substantiali.

6. Secundo informitas materiæ potest sumi, non in quantum excludit omnem formam, sed in quantum excludit illam formositatem, & decorum, qui nunc appetit in creatura sensibili. In hoc sensu informitatē sumplerunt Bassilius, Chrysostomus, & Ambrosius locis citatis num. 4. ac dixerunt talem informitatem materiæ tempore præcessisse eius formationem, formositatem, & decorum. Et quidem ex litera Genesim videtur materiæ corporali in prima creatione defuisse triplex formositas, ex cuius defectu erat informis. Primo corpori diaphano, quod dicitur cœlum, includens etiam aerem, qui vocatur cœlum aereum, deerat formositas lucis, ideoque dicitur, quod tenebra erant super faciem abyssi. Secundo terræ deerat formositas, quam habet nunc, in quantum non est testa aquis, & hæc significatur, dum dicitur: terra autem erat inanis, & vacua, vel ut alij legunt insubtilis. Tertio deerat formositas, quam habet, in quantum est vestita herbis, & plantis: & hæc significatur per eadem verba: terra erat inanis, & vacua, vel ut alij legunt incomposita. Cum ergo in diverso sensu informitatem materiæ sumplerit Augustinus, in diverso alij Patres, videntur discrepasse solum in quæstione de nomine. At superest quæstio de re, quam cum Sancto Thoma quæst. 74. art. 2. examinabi-

mus quæst. 122. in qua quæritur, vtrum sex dies creationis mundi realiter distinguantur, vt docuerunt Bassilius, Chrysostomus, Ambrosius, aliquique communiter, an sint vnum dies, imò vnum instans, quo Deus mundum simul creauit, & ornauit, quod instans distinguatur in sex dies, iuxta diuersas cognitiones angelorum, vt docuit Augustinus. Nam iuxta hanc opinionem Augustini informitas materia nequè in secundo sensu tempore præcessit eius formositate: at iuxta opinionem aliorum Patrum, tempore præcessit.

7. Potest queri primò, vtrum dum Gen. 1. dicitur: *In principio creauit Deus cœlum, & terram, nomine terræ intelligatur materia prima, an elementum terræ?*

Respondeo, quod Augustinus lib. 1. de Gen. ad litter. cap. 8. & lib. de Genesi contra Manichæos, cap. 5. & 7. existimauit significari materiam primam, quam Moses, quia rudi populo Israëlitico loquebatur, vocauit nomine rerum notarum, terræ nimirum, & aquæ, quia habet similitudinem cum terra, in quantum subdit formis, & cum aqua, in quantum est apta ad hoc, vt diuersimodè formetur, & figuretur. Insinuauit ergo Moses materiam primam esse quodammodo medium inter terram, & aquam, in quantum est potentia tum terra, tum aqua: & quia est pura potentia, dicitur inanis, & vacua, ac dicitur insubtilis, & incomposita, quia cognoscitur, & perficitur, ac completeret per formam. At Bassilius, Chrysostomus, & Ambrosius censuerunt verbis illis, *terra erat inanis, & vacua* significari elementum terræ: & hæc explicatio communiter præfertur.

8. Quæri potest secundò, vtrum mundus conditus, antequam per sex dies distingueretur, coincidat cum illo chaos, quod posuerunt aliqui ex antiquis naturalibus.

Respondet Sanctus Thomas hoc artic. 1. in respon. ad ultimum argumentum, quod differt præsenti in hoc, quod illi antiqui posuerunt in mundo chaos, & confusionem excludentem omnem distinctionem, ideoque Anaxagoras docuit solum intellectum esse distinctum, & immixtum, ac cætera distingue-re. At Scriptura sacra in mundo primo condito ponit multiplicem distinctionem. Primo ponit distinctionem cœli à terra, dicens: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Secundò ponit distinctionē elementorum. Et quidem terram, & aquam expresse nominavit, quia hæc duo elementa nota sunt omnibus: aeren, & ignem non nominauit expresse, quia hæc duo elementa non sunt satis nota rudibus, qui imaginantur aeren nihil esse, ideoque spatium plenum aere dicunt esse vacuum. Plato in Timæo, & plures alij existimauit Moysen, dum dixit, *Spiritus Domini forebatur super aquas, nomine spiritus Domini significasse aeren.* Sed quia in Scriptura nomine spiritus Domini solet significari, non aer, sed Spiritus Sanctus, Diuus Thomas existimat etiam hoc loco signi-

significari Spiritum Sanctum, qui ferebatur super aquas, non corporaliter, sed sicut voleuntas artificis superfertur materiae, quam vult formare. Melius ergo dicitur aerem, qui est subiectum tenebrarum, & erat super aquas, insinuari per illa verba, *tenebrae erant super faciem abyssi*, hoc est super superficiem aquarum, quæ vocatur abyssus propter profunditatem. Plato existimauit ignem insinuari per cœlum, quod censuit esse naturæ ignea, vt refert Sanctus Augustinus lib. 8. de Ciuit. cap. 15.

9. Art. 2. Sanctus Thomas querit, vtrum vna sit materia informis omnium corporalium, ac relatis pluribus opinionibus philosophorum, concludit materiam corporum cœlestium, quæ censet esse incorruptibilia, esse diuersæ rationis à materia corporum inferiorum corruptibilium. Sed quia hæc quæstio est philosophica, & fuit à nobis examinata in libris de cœlo, & mundo, quæst. 6. vbi secuti sumus sententiam, quam Sanctus Thomas tradit hoc artic. nihil hic est addendum.

10. Ad 1. Si nomine informitatis materiae intelligatur priuatio omnis formæ substancialis, vt intellexit Augustinus, informitas non potuit tempore, sed solum natura præcedere formationem. At si nomine informitatis intelligatur sola priuatio formositatis, & decoris, qui nunc appetit in materia corporeâ, informitas potuit tempore præcedere formationem materiae, vt dictum est numer. 5. & 6.

11. Ad 2. Natura imitatur Deum quantum potest, sed non potest assequi perfectam Dei imitationem. Quia ergo natura non potest quidquam producere, nisi ex subiecto præsupposito, & carente forma, quam debet introducere, ideo in operatione naturæ informitas, seu carentia formæ introducenda præedit tempore formationem, & formam introducendam. At quia Deus potest producere rem ex nihilo, potest producere simul materiam, & formam, absque eo, quod informitas materiae præcesserit formationem?

QVÆSTIO CCXIII.

Vtrum cœlum empyreum, & tempus concreta fuerint materia informi?

S. Tho. q. 66. art. 3. q. 4.

1. **P**rimò videretur cœlum empyreum non fuisse concreatum, hoc est simul ab initio creatum cum materia informi. Cœlum enim empyreum non est mobile; sed omnes corpus sensibile est mobile; ergo non datur cœlum empyreum, quod sit corpus sensibile ab initio simul creatum cum materia informi.

2. Secundo cœlum empyreum, si daretur

esset lucidissimum, ac proinde semper illuminaret omnes cœlos inferiores diaphanos, & totum aerem usque ad nos; ergo nunquam esset nox, quod repugnat experientia.

3. Tertio videtur tempus non fuisse ab initio simul creatum cum materia informi. Nam tempus est numerus motus firmamenti, ac diuidit diem, & noctem; sed firmamentum non est creatum ab initio simul cum materia informi, sed est creatum secunda die, vt narratur Gen. 2. ergo tempus non fuit creatum ab initio, sed secunda die.

4. Respondeo circa cœlum empyreum, eiusque existentiam, naturam, & creationem, plures occurrere quæstiones. Primo ergo queritur, vtrum supra omnes cœlos mobiles detur aliquod cœlum immobile, quod sit patria, & dominus beatōrum. Caïetanus in cap. 12. epist. 2. ad Corinthios docet, primum mobile, quod existimat esse immediatè supra cœlum stellatum, esse supremum cœlum, & patriam beatōrum, ac supra illud non dari aliud cœlum immobile, & addit. *Empyreum siquidem cœlum à posterioribus traditum, nulli inuenitur in Scriptura*. Pro hac opinione aliqui citant Damascenum lib. 2. de fide. cap. 6. vbi supra firmamentum, seu cœlum stellatum ponit vnam tantum cœlum cœli, & primum cœlum, idque dicit fuisse cognitum à Philosophis; sed Philosophi non cognoverunt ultimum cœlum immobile supra primum mobile: ergo Damascenus videretur negare cœlum empyreum immobile. Citatur etiam Basilius Homil. 3. in Hexamer. vbi ultra cœlum aereum, duos tantum cœlos ponere videretur, & Theodoretus quæst. 11. in Genesim.

5. Sanctus Thomas art. 3. quæst. 66. dicit, quod cœlum empyreum non inuenitur positum, nisi per autoritates Strabon, & Beda, & iterum per autoritatem Basili. Et quidem Strabus, qui est auctor glossæ ordinariæ, in cap. 1. Gen. in illa verba: *In principio creavit Deus cœlum, & terram*, dicit: *cœlum, non visibile firmamentum, sed empyreum, id est igneum, vel intellectuale, quod non ab ardore, sed à splendore dicitur, quod statim repletum est Angelis*. Vnde Iob. 38. vbi eras, cum me laudarent astra matutina, & inbilarent omnes filii Dei? Beda to. 4. lib. in Hexameron, explicans illa verba: *In principio creavit Deus cœlum, & terram*, dicit. *Ipsum enim est cœlum superior, quod ab omni huius mundi volubili statu secretum diuina presencia manet semper quietum*; & paulo post addit: *suis incolis mox creatum, hoc est beatissimis Angelorum agminibus inpletum est*. Sanctus Basilius hom. 2. in Hexam. Dicit: *Sicut damnati in tenebras ultimas alligantur, sic remuneratio pro dignis operibus restauratur in ea luce, que extra mundum est, & ibi quietis domicilium sortientur*. Videretur etiam cœlum empyreum posuisse Theodoretus, qui quæst. 11. in Genesim dicit. *Quemadmodum cœlum istud nobis est pro tegmine, ita cœlum, quod videamus, pro tegmine supra positum cœlum habet*. Hanc sententiam vnanimiter secuti sunt Scholastici cum Magistro in 2. dist.

2. &

2. & S. Thoma i. par. quæst. 66. artic. 3. nec non Interpretes sacræ Scripturæ in Gen. cap. 1. nimirū Alcuinus, Rabanus, Lyranus, & alij, Hugo etiam Victorinus in summa sentent. tract. 2. cap. 1. Videri potest Suarius lib. 1. de opere lex dierum, cap. 4.

6. Suadetur hæc sententia primo ex Scriptura, quæ sèpè insinuat supra omnes cœlos nobis visibiles dari cœlum, quod est domus Dei, & domicilium beatorum, illudque vocat cœlum cœli. Psalm. 102. Dominus in cœlo parasuit sedem suam. Psalm. 112. cœlum cœli Domino: vbi Theodoretus: non hoc, quod videtur, sed illud, quod superius est, quod huicse veluti tētum est, quemadmodum hoc, quod videmus, nostrum tectum est. Deuter. 10. Domini Dei tui cœlum est, & cœlum cœli. Psalm. 67. Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli. 2. ad Corinth. 5. Scimus, quoniam si terrena domus nostra huius habitationis dissoluatur quod adificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, aeternam in cœlis. Rursus cœlum empyreum videtur esse, quod Apostolus 2. ad Corinth. 12. vocat tertium cœlum, narrans se fuisse raptum usque ad tertium cœlum. Primum enim cœlum est aereum, secundum sydereum, tertium Empyreum.

7. Suadetur secundo rationibus congruentia. Nam sicut terra, quæ est domicilium hominum viatorum, debet esse immobilis, ac de ea dicitur Eccles. 1. terra autem in æternum stat, sic cœlum, quod est domicilium angelorum, & hominum beatorum, debet esse immobile: ergo supra omnia corpora celestia mobilia debet dari cœlum empyreum, immobile, & quod in æternum sit, nec perpetua vertigine circumvoluatur. Rursus sicut inferni damnatorum est in loco insimo, sic domicilium beatorum debet esse in loco supremo, ac proinde super alios cœlos.

8. Queritur secundo, quale sit cœlum empyreum?

Respondeo, quod debet esse proportionaliter tale, qualia erunt corpora beatorum: sed corpora beatorum habebunt quatuor precipias dotes, nimirum claritatem, incorruptibilitatem, levitatem, & subtilitatem: ergo cœlum empyreum est clarissimum, ac lucidissimum, incorruptibile, ac inalterabile, levissimum, ita ut debeat esse naturaliter super cœtera corpora vniuersi, & subtilissimum, subtilitate proportionali subtilitati corporum beatorum. Rursus sicut corpora beatorum erunt pulcherrima, sic cœlum empyreum est pulcherrimum in ratione habitationis beatorum. Si vero queratur, vtrum cœlum empyreum sit incorruptibile naturaliter, vel taliter supernaturaliter, respondeo, quod iuxta sententiam Aristotelis, & aliorum dicentium alios cœlos esse incorruptibles naturaliter, a fortiori cœlum empyreum est naturaliter incorruptibile. Si vero procedamus iuxta sententiam plurium recentiorum docentium cœlos inferiores empyreum esse naturaliter corruptibles, dicendum cœlum empyreum esse

incorruptibile sicut supernaturaliter per qualitatem superadditam, proportionaliter, ac corpora beatorum, licet naturaliter sint corruptibilia, erunt supernaturaliter incorruptibilia, & immortalia per qualitatem supernaturaliter.

9. Quæritur tertio, vtrum cœlum empyreum sit totum solidum, vel totum fluidum, ad modum aeris, vel partim solidum, partim fluidum?

Respondeo probabile esse, quod sit partim solidum, partim fluidum, ut videtur docuisse Daniel Malonius in 2. dist. 7. secc. 5. licet Suarius lib. 1. de opere lex dierum, cap. 5. num. 6. post relatam sententiam Malonii, opinetur esse totum solidum.

Probatur: nam cœlum empyreum debet esse accommodatum, & proportionatum corporibus beatorum, & eorum visibus; sed corpora beatorum erunt partim solida, partim fluida: nam præter ossa, aliasque partes solidas, habebunt sanguinem, & humores fluidos, & caurates pectoris, ventris &c. plena aura celesti fluida, vel ut loquitur S. Thomas in 4. Dist. 44. qu. 1. art. 2. quæst. 1. ad 2. plena non turbibus humoribus, sed nobilibus humiditatibus; ergo etiam cœlum empyreum debet esse partim solidum, partim fluidum; alioquin corpora beatorum deberent perpetuo penetrari cum corpore celesti solido, ac respirando, & expirando, non possent retrahere, & emittere auram celestem fluidam. Confirmatur primus: nam angeli beati debebunt posse loqui, & laudes diuinæ canere etiam vocibus sensibilibus: sed voces sensibiles exigunt medium fluidum, per quod propagantur: ergo. Confirmatur secundo ad hominem contra Suarium. Nam numer. 7. dicit: ut ex materia beatitudinis suppono, corpus gloriosum non sit in partibus internis vacuum, sed omnia illa interiora loca corporis, qua nunc alimentis, excrementis superfluis, humoribus, aut aere replentur, tunc purissimo, & lucidissimo aere caelesti replebuntur. Illo ergo videntur ad formandam vocem &c. sed aer ille erit fluidus, & cœlestis: ergo etiam extra corpora beatorum potest in cœlo empyreo admitti aer cœlestis. Videtur igitur cœlum empyreum constare ex partibus solidis, quibus constitutur veluti tectum superius concavum, & pavimenti inferius conroxum, cuius quasi pavimenti pars exterior concava sit veluti tectum cœlorum inferiorum. Debet præterea constare ex partibus internis fluidis ad modum aeris lucidissimi, quod corpus fluidum vocamus auram empyream, qua etiam plena sint concavitates corporum beatorum. Sed hæc sufficit indicasse. Hinc sequitur, quod sicut corpora beatorum sunt mobilia, sic cœlum empyreum quoad partes fluidas est mobile, licet quoad partes solidas sit immobile, nec perpetua vertigine circumvoluatur.

10. Quæritur quinto, vtrum cœlum empyreum influat in inferiora?

Respondeo duas esse sententias. Prima negat. Docuit hanc sententiam Alensis 2. par. quæst. 47. Memb. 1. & Sanctus Thomas in 2.

K k k dist.

dist. 2 quæst. 2. art. 3. Secunda est affirmativa, quam retractans priorē secutus est Sanctus Thomas 1. par. quæst. 66. art. 3. ad 2. & quodlib. 6. quæst. 11. art. 19. quem præter Cajetanum, & Thomistis seuti sunt Aegydius in 2. dist. 2. quæst. 2. art. 4. Argentina ibidem quæst. 2. art. 1. Durandus quæst. 2. Ricch. art. 3. quæst. 3. & ex nostris Suarius lib. 1. de opere iex dierum, cap. 5. num. 9. & hanc opinionem existimo probabiliorem.

11. Probatur; nam entia debent ita ordinari, vt superiora influant in inferiora: ergo etiam cœlum empyreum, quod est supremum, debet influere in cœlos inferiores. Confirmatur: nam angeli primæ hierarchiæ, qui assistunt, ac saltè regulariter non mittuntur, influunt in Angelos inferiores, qui mittuntur, vt docet Dionysius cap. 8. de cœlesti hierarchia; ergo cœlum empyreum, hoc est corpus cœleste, quod non mouetur, influit in corpora inferiora, quæ mouentur. Rursus Angeli beati agunt in hæc inferiora; ergo etiam cœlum empyreum, licet sit locus beatorum, debet agere in hæc inferiora. Addit Sanctus Thomas, quod cœlum empyreum, quod non mouetur, influit in primum cœlum, quod mouetur, non aliquid transiens, & adueniens per motum, sed aliquid fixum, & stabile, pura virtutem continendi, & causandi, vel aliquid huiusmodi ad dignitatem pertinens.

12. Quæritur sexto, vtrum cœlum empyreum creatum fuerit ab initio, & in primò instanti simul cum materia informi?

Respondeo, quod Augustinus Eugubinus in cap. 1. Gen. videtur docuisse cœlum empyreum esse aeternum, & increatum, ac à Deo distinctum, ac eius opinionem sic intellectam Perarius in Genesim vocat absurdam, execrandam, & à Christi disciplina abhorrentem; Catherinus in Gen. Molina in 1. par. tractatu de opere sex dierum, disput. 3. & alijs vocant errorem in fide. Sanctus Basilij homil. 1. in Hexam. dicit credibile esse ante huius visibilis mundi creationem fuisse alium intelligentiæ superioribus accommodatum tempore anteriorem, aeternum nimirum, & perpetuum, & substantijs spiritualibus ornatum. Hac verba Basiliij, ne contineant errorum in fide, debent ita intelligi, vt cum dicit cœlum empyreum, quod vocat alium mundum, esse aeternum, significet esse aeternum à parte post, eo pacto, quo Apostolus 2. ad Corinthios 2. dum empyreum vocat Domum non manufactam aeternam in celis, loquitur solum de aeternitate à parte post. Alia sententia est plurimum Parrum Græcorum, qui vt dictum est supra quæst. 170. num. 10. sicut docuerunt Angelos creatos fuisse, non quidem ab aeterno, sed ante hunc mundum nobis visibilem, ita videtur existimasse cœlum empyreum domicilium Angelorum creatum fuisse in tempore, sed ante mundum nobis visibilem. At sicut nos quæstione illa 170. num. 13. diximus Angelos conditos fuisse simul cum

mundo corporeo, non post, neque ante, sic consequenter existimamus cœlum empyreum creatum fuisse simul cum mundo hoc visibili, ac cum materia informi, non post, neque ante, vt etiam docet Sanctus Thomas hac quæst. 66. art. 3. Probarur rationibus eo loco allatis. Nam sicut Angeli creati sunt ab initio mundi, sic locus Angelorum, hoc est cœlum empyreum creari debuit ab initio mundi. Affert aliam rationem congruentiam Sanctus Thomas hoc artic. 3. quæst. 66. dicens: Potest conuincientior ratio sumi ex ipsa conditione glorie. Expectatur enim in futura remuneratione duplex gloria, scilicet spiritualis, & corporalis, non solùm in corporibus humanis glorificandis, sed etiam in toto mundo innouando. Inchoata est autem spiritualis gloria ab ipso mundi principio in beatitudine Angelorum, quorum equalitas Sanctis promittitur. Vnae conueniens fuit, vt etiam à principio corporalis gloria inchoaretur in aliquo corpore, quod etiam à principio fuerit absque seruitute corruptionis, & mortalitatis, & totaliter lucidum, sicut tota creatura corporalis expectatur post resurrectionem futuram. Et ideo illud cœlum dicitur empyreum, id est igneum non ab ardore, sed à splendore.

13. Quæritur septimo, vtrum dum dicitur, In principio creavit Deus celum, & terram, nomine cœli significetur empyreum.

Respondeo, quod non significatur expressè, sed comprehenditur, & insinuat. Sicut igitur nomine terra intelligitur globus terrestris, qui erat cooperitus aquis, sic nomine cœli intelligitur totum spatiū à terra cooperita aquis usque ad finem mundi, quod continet cœlum aereum, & thereum, & empyreum.

14. Quæritur octavo, vtrum tempus concreatum fuerit, hoc est ab initio creatum simul cum cœlo empyreo, & cum materia informi?

Respondebit Sanctus Thomas art. 4. huius quæstionis 66. quod communiter dicitur quatuor esse primo creata, scilicet naturam Angelicam, cœlum empyreum, materiam corporalem informem, & tempus. Ratio est, quia in creatione Angeli, Cœlum empyreum, & materia informis acceperunt initium, ac primum instans suæ durationis successivæ, quod fuit etiam initium totius motus, ac temporis: ergo simul cum alijs tribus factum fuit initium temporis. Sicut autem, vt dictum est quæstione superiori 212. iuxta sententiam Augustini materia informis, non tempore, sed natura præcessit eius formacionem, sic vt docet Sanctus Thomas aliquo modo proportionali præcessit etiam tempus.

15. Ad 1. distinguo maiorem: omne corpus sensibile inferius empyreo est mobile iuxta præsentem statum mundi, concedo: est mobile in perpetuum, nego maiorem: concedo minorem; & nego consequentiam. Corpora sensibilia inferiora empyreo sunt mobilia iuxta præsentem statum mundi, in quo debent

bent dari generationes, & corruptiones inferiorum: at post diem iudicij, sicut cessabunt generationes, & corruptiones, sic corpora etiam inferiora aliter disponentur, & acquirant immobilitatem, & corpora beatorum, acquirent dotem incorruptibilitatis, & alias dotes. Quia verò cœlum empyreum est locus beatorum, ab initio debuit habere dotem incorruptibilitatis, & localis immobilitatis, qua circa mundum inferiorem non circumvolvatur, ut dictum est num.7. Vide Sanctum Thomam art.3. quæst.66. in resp. ad 1.

16. Ad 2. Argumentum querit, quo p. cœlum empyreum, cum sit lucidissimum, non semper illuminet omnia inferiora, & sic causet perpetuam diem. Respondet primo Basilius Homil. 2. in Hexameron: *confat factum esse cœlum rotunditate conclusum, habens corpus spissum, & adeo validum, ut possit ea, quæ extrinsecus habentur, ab interioribus separare. Ob hoc necessario post se regionem relistikam carentem lucce constituit, ut poterit splendore, qui superradiabat, excluso. Iuxta hanc doctrinam Basilij cœlum empyreum secundum partem, qua respicit inferiores cœlos, & mundum nostrum elementarem, est densissimum, & opacissimum, ac proindè impedit, ne lux interior propagetur ad cœlos inferiores, & ad mundum elementarem. Addit Sanctus Thomas, quod quia firmamentum, licet sit solidum, est diaphanum, vi patet, quia lumen stellarum videamus, non obstantibus cœlis mediis, videtur, quod etiam pars illa cœli empyrei, quæ recipit cœlos inferiores, ac mundum elementarem, licet sit solidissima, debet esse diaphana, ac proindè non apta ad impediendum, ne lux empyrei propagetur ad inferiora. Ideo potest aliter dici, quod habet lucem cœlum empyreum non condensatam, ne radios emittat, sicut corpus solis, sed magis subtilem, vel habet claritatem gloriae, quæ non est conformis cum claritate naturali?*

17. Ad 3. distingo maiorem: tempus de facto est motus firmamenti, in quantum motus firmamenti de facto est primus motus sensibilis, concedo: tempus essentialementer est motus firmamenti, nego maiorem: concedo minorem: & nego consequentiam. Tempus est numerus primi motus: & quia de facto motus firmamenti est primus motus sensibilis, id est de facto tempus sensibile est numerus motus firmamenti. Si autem daretur motus sensibilis prior motu firmamenti, ille motus esset tempus, & mensura, quia omnia mensurantur primo sui generis. Si ergo motus firmamenti non ceperit ab initio, tempus, quod præcessit motum firmamenti, fuit numerus non motus firmamenti, sed alterius motus, saltem quo mens Angelica numerat successionem suarum cognitionum, vel durationum &c.

QVÆSTIO CCXIV.

Vtrum lux propriè in spiritualibus dicatur & vtrum lux corporea sit corpus, vel qualitas?

S. Tho. q. 67. art. 1. 2. 3.

1. **P**rimò videtur lux propriè dici de spiritualibus. Augustinus enim lib. 4. de Gen. ad literam, cap. 28. dicit, quod *in spiritualibus melior, & certior lux est, & quod Christus non sic dicitur lux, quomodo lapis, sed illud propriè, hoc figuratiuè*. Dionysius cap.4. de diuinis nominibus ponit lumen inter nomina intelligibilia Dei: & Apost. ad Ephes. 5. dicit: *omne, quod manifestatur, lumen est, ac proindè docet etiam manifestationem spiritualem esse lumen.*

2. Secundo videtur lux materialis esse corpus. Nam Augustinus lib. 3. de lib. arbitrio cap.5. dicit, quod *lux in corporibus primum locum tenet*. Aristoteles autem dicit lucem esse speciem ignis.

3. Tertio ferri, interfecari, ac reflecti, coniungi etiam, ac separari sunt propria corporum; sed radij luminis feruntur, interseccantur, ac reflectuntur, coniunguntur etiam, ac separantur, ut docet Dionysius cap.2. de diuinis nominibus: ergo.

4. Quarto videtur lux non esse qualitas sensibilis. Nam qualitates sensibiles remanent, & conseruantur in subiecto, etiam ablato agente, vi patet in calore, & frigore, & præterea habent contrarium, eo pacto, quo calor est contrarius frigori; sed lux non habet contrarium, & non remanet, ablato agente, ideoque cum lucerna extinguitur, cubiculum remanet tenebrosum: ergo.

5. Quinto causa est perfectior effectu; sed lux corporum coelestium causat formas substantiales in inferioribus, ac dum reddit colores actu visibles, dat illis quoddam esse spirituale: ergo lux non est qualitas materialis, sed vel est corpus, vel qualitas spiritualis.

6. Respondeo, quod Sanctus Thomas postquam quæst.65. & 66. egit de creatione, ac distinctione rerum in genere, descendit magis in particulari ad agendum de opere distinctionis factio singulis iex diebus: & quia prima die facta est lux, ac diuisa à tenebris, quæst. 66. agit de luce, ciusque productione, ac distinctione à tenebris.

7. Articulo igitur primo querit, vtrum lux propriè dicatur de spiritualibus, siue vtrum aliqua spiritualia possint propriè dici lux?

Respondeo nomen lucis primo impositum esse ad significandam lucem corpoream, hoc est id, quod facit manifestationem in sensu visus, deinde ex usu extensum esse ad si-

KKKK 2 gni-

gnificantum omne id, quod facit quamcumque manifestationem, qua res manifestatur quamcumque cognitione etiam intellectiva. Hinc sequitur nomen lucis secundum primam impositionem propriè dici de sola luce corporea, de spiritualibus autem dici metaphoricè. At ex vsu nominis dicitur etiam propriè de spiritualibus. Explicatur exemplo. Nomen visio primo impositum est ad significandum actum sensus visus. Quia vero sensus videndi est nobilissimus, & certissimus, ideo nomen visionis, ac verbum videnti exiens est ad significandam cognitionem, præterim certam aliorum etiam sentiuom, & ipsius intellectus, ac licet ex prima impositione dicatur propriè de solo actu sensus videndi, de actibus autem aliorum sensuum, & intellectus dicatur solum metaphoricè, tamen ex vsu loquentium dicitur propriè de actibus etiam aliorum sensuum, & ipsius intellectus. Propriè enim loquimur, dum dicimus: *vide quomodo sapit? quomodo redolens? quomodo est calidum? quam suaviter canit?* licet sapor percipiatur sensu gustus, odor sensu odoratus, calidum sensu tactus, cantus sensu auditus. Propriè etiam beati dicuntur Deum videre, iuxta illud Christi Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* licet Deum videant visione purè intellectua, & spirituali, ac cognitione intuitiva Dei propriè vocatur visio beatifica. Idem dic proportionaliter de nomine lucis.

8. Hinc conciliantur dicta Patrum, quæ videntur contraria. Ambrosius enim, dum lib. 2. de fide ad Gratianum, initio Prologi, ponit splendorem inter ea, quæ de Deo metaphorice dicuntur, loquitur de nomine splendoris secundum primam impositionem; at non negat ex vsu loquentium propriè splendorem posse dici etiam de spiritualibus, eo pacto, quo Verbum Dei ab Apostolo ad Heb. 1. dicitur *Splendor gloria.* Augustinus, Dionysius, & alij relati num. 1. in primo argomento, dum dicunt nomen lucis dici propriè etiam de spiritualibus, ex vsu videlicet loquentium, non negant primò impositum tuisse ad significandam lucem corporam.

9. Articulo secundo querit, vtrum lux materialis sit corpus?

Respondet impossibile esse, vt lux materialis sit corpus. Probat pluribus rationibus. Prima ratio desumpta ex parte loci est. Corpora non possunt simul penetrari; sed lux penetratur cum toto aere, vt constat experientia; ergo quandoquidem aer est corpus, lux non est corpus: alioquin corpus lucis, & corpus aeris penetrarentur.

10. Secunda ratio desumpta ex parte motus localis est. Motus corporis fit successione, & corpus, quod mouetur, prius peruenit ad medium, quam ad extrellum: sed illuminatio fit in instanti, ac cum Sol oritur, radius protenditur per immensam lineam rectam, nec prius peruenit ad partem propinquam,

quam ad distantissimam eius lineę: ergo illuminatio non fit per motum localem corporis, emissorum à Sole, ac lumen emisum à Sole, & ab alijs corporibus luminosis, non consistit in corpusculis. Nec potest dici lumen propagari per motum velocissimum, ideoque imperceptibilem à nobis. Nam motus ille, eiusque successio in parvo spatio posset quidem latere; at in maximo spatio, hoc est ab oriente in occidentem latere non posset. Vraque ratio desumpta ex successione motus, & ex impetuabilitate corporum, desumpta est ex Aristotele 2. de Anima. Nam textu 69, agens ex profecto de lumine, dicit. *Neque est ignis, neque omnino corpus, neque dessus ullius corporis &c.* Neque enim possibile est duo corpora in eodem simul esse. Et paulo post textu 70. *Et non rellè Empedocles, aut si quis alias sic dixit, quod feratur lumen, & extendatur inter terram, & continens, nos autem lateat.* Hoc enim & est præter eas, quæ est in ratione, veritatem, & præter ea, quæ videntur. In parvo enim spatio latet nos: ab oriente autem in occidens latere, magna quidem multum petitio est. Hoc est, petitur à nobis, vt concedatur aliquid prouersus incredibile.

11. Tertia ratio desumpta etiam ex parte motus localis est. Omnia corpora mouentur determinatè ad unam partem, puta sursum, aut deorsum per lineam rectam, vt grauias, & leuias, vel circulariter, vt corpora coelestia; sed lux propagatur vndeque ad omnes partes, & per omnes lineas, ac implet totam sphærā: ergo lux non est corpus, nec propagatur per motum localem.

12. Quarta ratio desumpta ex corruptione lucis est. Si lux esset corpus, sequeretur, quod cum ex absentiā luminaris aer obtenebratur, totum illud corpus lucidum corrumpetur; sed unum corpus non corrumpitur, quin aliud generetur: ergo cum aer obtenebratur, generaretur aliud corpus, & materia lucis acciperet aliam formam substantialē; sed cum aer obtenebratur, nullum corpus generatur, nisi forte dicatur, quod etiam tenebras sunt corpus, quod generatur, cum lux corruptitur, quod est absurdum: ergo. Confirmatur: nam nullum corpus ita pendet à sua causa productua, vt ea subtracta, statim corrumpatur: ergo ridiculum est dicere, quod ad absentiā luminaris tantum corpus, quod implet totum spatium ab oriente in occidentem, statim corrumpatur.

13. Quinta ratio desumpta ex generatione lucis est: si lux esset corpus, deberet generari ex aliqua materia; sed non appareat, ex qua materia generetur corpus tam magnum, vt repleat integrum hemisphærium: ergo.

14. Posset aliquis respondere corpus hoc lucidum non corrumpi, sed simul cum Sole circumferri, veluti corona quadam radiorum affixa Soli, vel alteri corpori luminoso. Impugnat Sanctus Thomas hanc responsionem. Nam cum aliquid corpus circumponatur

natur

nitur candelæ, vel alteri corpori luminoso, totum maximum spatiū, quod ante illuminabatur, obscuratur: ergo lumen illud corruptitur. Neque enim dici potest, quod corpus illud radiosum retrahatur ad candalam: hoc enim est contra experientiam. Rursum cum candela extinguitur, aer obscuratur; ergo lumen illud corruptitur. Concludit Sanctus Thomas, quod quia omnia hæc, non solum rationi, sed sensui etiam repugnant, dendum est, quod impossibile est lumen esse corpus.

15. Articulo tertio querit, vtrum lux sit qualitas?

Respondet aliquos docuisse, quod sicut color in parietē ex.gr. habet esse reale, in aere non habet esse reale, sed intentionale, siquidem aer non accipit in se colorem, sed similitudinem, & speciem intentionalem coloris, sic lux, quæ in corpore lucido, puta in Sole, vel igne, habet esse reale, in aere non habet esse reale, sed intentionale, ac proinde lumen à corpore luminoso propagatum per medium, est species intentionalis lucis, quæ est in corpore luminoso.

16. Reiciit hanc opinionem Sanctus Thomas duabus rationibus. Prima ratio est. Aer, quia recipit colorem, non secundum esse reale, sed solum secundum intentionale, non constitutus, neque denominatur coloratus: ergo si aer reciperet lumen solum secundum esse intentionale, non constitueretur, neque denominaretur illuminatus; sed aer ita recipit lumen, ut constituatur, ac denominetur illuminatus: ergo recipit lumen secundum esse reale, ac non solum secundum intentionale. Secunda ratio est. Species intentionales non causant in subiecto naturales transmutationes, puta non caletaciunt, neque frigesciunt; sed lumen caletacit aereum, in quo recipitur; ergo.

17. Alij docuerunt lucem esse formam substantialem Solis.

Reiciit Sanctus Thomas hanc etiam opinionem duabus rationibus. Prima ratio est. Nulla forma substantialis est per se sensibilis, siquidem ut docet Aristoteles lib. 3, de Anima, text. 26, quod quid est, hoc est substantia, est obiectum intellectus, non autem sensus; sed lux est per se visibilis, ac proinde sensibilis; ergo lux non est forma substantialis, sed accidentalis. Secunda est. Repugnat, ut id, quod est forma substantialis in uno, sit forma accidentalis in alio, siquidem forma substantialis constituit rem in sua specie, ac non aduenit rei constitutæ in sua specie; sed lux non est forma substantialis aeris, alioquin aer, cum amittat lucem, amitteret suam formam substantialem, ac proinde corrupteretur; ergo.

18. Concludit Sanctus Thomas, quod sicut calor est qualitas actiua consequens formam substantialem ignis, sic lux est qualitas actiua consequens formam substantialem So-

lis, vel cuiuslibet alterius corporis à se incidentis.

19. Addo primo ex dictis in Philosophia questione 23, de Anima, lumen aduentitium esse qualitatem diuersæ rationis à luce ingenita; ex.gr. lumen propagatum per aërem est diuersæ rationis, & aliqualiter degenerans à luce ingenita Soli, vel igni. Probatur. Nam lux ingenita Soli, vel igni agit sphæricæ, & in omnem partem; lumen vero receptum in aere non agit sphæricè, sed solum in unam partem; ergo degenerat ab actuitate, ac proinde à perfectione lucis ingenitæ.

20. Addo secundo ex dictis ibidem, quod licet lumen aduentitium sit qualitas realis, tamen participat aliquid de intentionali. Probatur; nam in quantum non propagat se sphæricè, sed per unicam directionem, participat naturam specierum intentionalium: in quantum est qualitas actiua, alteratiua, & calefactiua, participat de qualitate reali. Ratio à priori potest esse, quia in unoquoque genere supremum insimili attingit infimum supremi, eo pacto, quo homo, qui est supremus inter substancialias corporeas, participat aliquid de substancialibus incorporeis, cum sit spiritualis secundum animam; ergo non est mirum, si inter qualitates reales, & intentionales detur lumen participans aliquid de utriusque, ut explicatum est.

21. Ad 1. lami num. 3. explicatum est, quo pacto concilientur dicta Patrum, quorum aliqui affirmant lucem dici de spiritualibus propriè, aliqui negant dici propriè, & assertunt dici solum metaphorice.

22. Ad 2. Augustinus dicens, quod lux in corporibus primum locum tenet, lucem sumit pro corpore lucido, id est igne, qui tenet primum locum inter quatuor elementa. Aristoteles etiam dicens lumen esse speciem ignis, lumen sumit pro corpore luminoso, ac species ignis distinguit per materiam, ac docet ignem in materia aerea dici flammam, in materia terrea dici carbonem. Addit Sanctus Thomas parum esse curandum de ijs, quæ Aristoteles in libris logicis dicit per modum exempli. Multa enim dicit non ex propria sententia.

23. Ad 3. distinguo maiorem: ferri, interficiari, reflecti, coniungi, ac separari propriè, & per motum localem, sunt propria corporum, concedo; ferri, interficiari &c. analogicè, & non per motum localem, sed per productionem similis, est proprium corporum, nego; distinguo eodem pacto minorē; & nego consequentiam. Dupliciter possumus apprehendere radios lucidos egredi à Sole, ferri, interficiari, reflecti, coniungi, separari &c. primo propriè, & per motum localem, ita ut radii lucidi iisdem numero, qui sunt in Sole, sed inuoluti ad modum filiorum, & sicut fila quædam lucida, egreditur à Sole, ac per motum localem difunduntur ab oriente in occidentem, & cum inue-

inueniunt impedimentum, reflectantur: iudem numero ad modum filorum intersecantur, coniungantur, separantur &c. Ferri, intersecari, reflecti hoc pacto est proprium corporum, & si radij lucidi hoc pacto ferrentur per motum localem, tressent corpora, ac videnti filii lucida. Verum radios lucidos non hoc pacto ferri, intersecari, reflecti &c. per motum localem, probatum est num. 10. præsertim ex eo, quod prius radii isti peruenient ad partem propinquorem luminoso, quam ad distantiorem, quod est contra experientiam. Secundo possumus apprehendere radios lucidos ferri, intersecari, reflecti &c. analogicè, & per productionem similis, sine motu locali, ita ut lux existens in Sole, remanens in Sole producat in loco immediato lucem similem, à qua producatur in loco sequenti lux similis, & sic ab oriente in occidentem, & quando lux inuenit impedimentum, loco producendi lucem in subiecto incapaci, ac proinde impeditus, producat lucem per aliam lineam, & sic reflectatur, vel refrangatur. Radii lucidi feruntur, intersecantur, reflectuntur hoc secundo modo, qui non est proprius corporum, sed potest conuenire qualitatibus, siquidem calor potest hoc pacto diffundi per totam sphæram sine motu locali per productionem similis caloris.

24. Ad 4. distinguo maiorem: qualitas corruptiua, & alteratiua, & quæ non participat esse intentionale, haber contrarium, & remanet in subiecto, ablato agente, concedo: qualitas purè perfectiua, & participans esse intentionale, habet contrarium, & remanet in subiecto, ablato agente, nego maiorem: concedo minorem: & nego consequentiam. Duplex est qualitas. Prima est corruptiua, vel alteratiua: & quia productio, & alteratio procedunt à contrarijs, ideo qualitates corruptiua, & alteratiua, ex gr. calor, frigus &c. habent contrarium. Secunda est qualitas purè perfectiua: & hæc potest non habere contrarium, ac lux cum sit qualitas purè perfectiua, non habet contrarium. Rursus species intentionales sensibiles non remanent, ablato agente: sed lumen aduentitium ita est qualitas realis, vt participet esse intentionale, vt dictum est num. 20. ergo non est mirum, quod lumen aduentitium assimiletur species sensibilibus intentionalibus etiam in hoc, quod non remanet, ablato agente, hoc est corpore luminoso.

25. Ad 5. distinguo maiorem: causa principalis est perfectior effectu, concedo: causa instrumentalis est perfectior effectu, nego maiorem: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Causa instrumentalis potest esse imperfectior effectu, ideoque accidentia, licet sint imperfectiora substantia, possunt instrumentaliter producere substantiam, vt dictum est in lib. de Generat. questione 21. sed lumen agit ut instrumentum corporum

cœlestium: ergo licet non sit forma substantialis, potest causare formas substantiales inferiores. Rursus lumen ex dictis num. 20. participat esse intentionale, quod aliquo pacto dicitur spirituale; ergo potest coloribus dare quoddam esse intentionale, quod aliquo pacto dicitur spirituale, ac reddere illos actus visibles.

QVÆSTIO CCXV.

Quanam fuerit lux primo die producta, & qualis fuerit?

S. Th. q. 67. art. 4.

1. Primo videtur lux illa, quæ cap. 1. Gen. dicitur producta primo die, fuisse lux spiritualis gratiæ, qua natura Angelica fuerit formata, & illuminata. Ut enim arguit Sanctus Augustinus lib. 11. de Ciuitate, cap. 9. inconveniens est, vt Moyles omiserit creationem, & formationem naturæ Angelicæ: ergo cum dixit, *In principio creavit Deus cœlum, & terram*, sicut per terram significauit materiam corporalem informem, sic per cœlum intellectus naturam spiritualem, hoc est Angelicam informem, & nondum formatam lumine gratiæ, & gloriæ: ergo cum dixit, quod dicente Deo, *fiat lux, facta est lux*, nomine lucis intellexit lucem spiritualem gratiæ, vel gloriæ, qua formata est natura spiritualis, & Angelica, præsertim cum lux spiritualis propriè dicatur lux, ut explicatum est quæstione precedenti 214. num. 7.

2. Secundo videtur lux materialis, quæ diuina est à tenebris, & fecit diem, ac noctem, non fuisse producta prima die. Lux enim materialis suo motu faciens diem, ac noctem, est lux Solis; sed Sol non est productus prima die, sed quarta: ergo lux materialis suo motu faciens diem, & noctem, non est producta prima die, sed quarta.

3. Tertio dies, & nox fiunt per motum firmamentis; sed firmamentum factum fuit secunda die: ergo lux faciens diem, ac noctem facta fuit non prima, sed secunda die.

4. Respondeo plures quæstiones esse examinandas. Primo ergo queritur, utrum nomine lucis, quæ dicitur producta primo die, intelligatur sola lux spiritualis, vel sola materialis, vel utraque. Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap. 7. & 9. lib. 1. operis imperfecti in Gen. ad litt. cap. 5. lib. 23. contra Faustum, cap. 10. & lib. 1. contra Aduersarium Legis, & Prophetarum, cap. 10. 11. & 12. docet ex fundamento aliato num. 1. in primo argumento, nomine lucis producta prima die significari solum lucem spiritualem gratiæ, & gloriæ, qua illuminata, & formata fuerit natura Angelicæ, quæ prius natura erat informis: Hanc Augustini sententiam secuti sunt Euclerius lib. 1. in Genes. cap. 1. & Rupertus lib. I,

lib. 7, in Gen. cap. 10. Confirmari potest hæc opinio ex rationibus dubitandi allatis num. 2. & 3. quibus suadetur lucem corpoream non fuisse productam prima die.

5. Secunda sententia communis Patrum, & Scholasticorum docet, nomine lucis productæ prima die, significari lucem materialē, & sensibilem. Autores huius sententiae, quos referemus infra num. 11. & seqq. examinando, quænam fuerit lux corporeæ primo die productæ, possunt diuidi in duas classes. In prima sunt, qui ita docent nomine lucis productæ prima die significari lucem corpoream, ut non reiciant opinionem S. Augustini, qui afferit significari lucem spiritualem. In hac classe autem sunt Isidorus de summo bono, cap. 10. Beda in Hexameron. & super Genesim, Glossa ibidem, Magister, & Sandus Thomas hoc art. 4. quæst. 67. In secunda sunt, qui reiciunt sententiam Augustini, ac negant nomine lucis productæ prima die propriæ significari lucem spiritualem.

6. Dicendum primo: nomine lucis primo die productæ non significatur sola lux spiritualis, sed vel sola materialis, vel virtuæque. Probatur primò ex auctoritate communis Patrum, & Scholasticorum, quos affert Suarez lib. 2. de opere sex dierum, cap. 1. num. 4. qui addit, quod hanc sententiam amplectitur Ecclesia in Hymno Dominicæ ad Vesperas, in quo dicitur: *Lucis creator optimè, lumen dierum proferens, primordiis lucis nouæ, mundi parans originem.*

7. Probatur secundo. Nam Moyses loquebatur rudi populo Hebræorum: ergo nomina lucis, tenebrarum, dici, noctis, mane, & vespera adhibuit primo, iuxta intelligentiam rudi populi; sed rufis populus hæc intelligebat de luce, ac tenebris materialib⁹, de die, & nocte materiali; ergo. Rufus sicut dum dixit, quod tenebrae erant super faciem abyssi, locutus est de materialibus tenebris, sic dum deinde dicit, quod facta est lux, locutus est de materiali luce.

8. Sanctus Thomas hoc art. 4. quæst. 67. Affert quatuor rationes, propter quas Deus à productione lucis ornatum mundi visibilis inchoavit. Prima ratio est, quia lux est qualitas, & ornamentum primi corporis, hoc est coelestis, & etiam ignis, qui est primum elementum; sed ornatus mundi debuit inchoari, producendo qualitatem, & ornamentum primi corporis: ergo. Secunda ratio est: sicut in cognitione proceditur à communioribus ad minus communia, vt docet Aristoteles lib. 1. physicorum initio, sic in operatione debet procedi à communioribus ad minus communia, ideoque idem Aristoteles lib. 2. de hist. Animal. cap. 2. dicit, quod prius generatur vivens, quam animal, & animal, quam homo; sed lux est qualitas communissima, siquidem est communis corporibus coelestibus, & inferioribus: ergo ornatus mundi debuit incipere à productione lucis.

Tertia ratio Basili⁹ Hom. 2. in Hexameron. est, quia lux est quasi ornamentum rerum coelestium, & inferiorum, & omnium sensibilium, siquidem decor, & pulchritudo rerum sensibilium videri non possunt, nisi manifestentur à luce. Hanc rationem afferunt etiam Damasc. lib. 2. de fide cap. 7, & Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis cap. 1. & sequent. lib. etiam 4. Editræ, cap. 6. habetur. *E: et ratum spiritus, & tenebra circumferebantur, & silentium, sonus vocis humanae nondum erat abs te. Tunc diristi de thesauris tuis proferri lumen luminosum, quo appareret opus tuum.* Quarta ratio est, quia dies non potest esse sine luce: ergo quandoquidem Deus voluit mundum ordinare, & ornare lex diebus, initio debuit creare lucem.

9. Dicendum secundò: nomine lucis primo die productæ potest intelligi etiam lux spiritualis. Probatur. Ut enim cum S. Augustino lib. 12. confess. cap. 18. & sequentibus diximus quæst. 13. num. 12. non est inconveniens, vt idem locus Scripturæ habeat plures sensus literales, ita vt illos auctor Scripturæ primò per verba significare intenderit: ergo quandoquidem Moyses loquebatur non tolùm rudi populo, sed etiam sapientibus Hebreorum, verisimile est, quod nomine lucis primo die productæ, significaret etiam lucem spiritualem gratiæ, qua natura spiritualis, siue Angelica, qua in priori natura erat informis, in posteriori natura fuit formata inchoatiæ per gratiam, ac non multo post fuit formata perfectiæ per gloriam, & beatitudinem, ac lux, hoc est Angeli, qui perseverarunt in charitate, diuisi fuerunt à tenebris, hoc est ab Angelis, qui peccando, facti sunt tenebrae, vt explicat Augustinus.

10. Quæritur secundò, quænam fuerit lux sensibilis primo die productæ?

Respondeo, quod omnes, qui dicunt primo die fuisse productam lucem sensibilem, affirmant etiam lucem illam fuisse formam eiusdem rationis cum hac luce, quam videamus, saltè quoad hoc, quod erat essentia quædam tenebras depellens, & corporum colores, ac pulchritudinem manifestans. Quæritur ergo solū, vtrum fuerit lux alicuius corporis, vel ab omni corpore separata: & siquidem fuit lux alicuius corporis, cuius corporis lux fuerit? Ratio autem dubitandi est, quia cum Sol, & altra narrentur productæ fuisse quartæ die, lux primo die producta non potuit recipi in Sole, nec in illo astro, & non est facile assignare, in quo alio corpore recipiatur. Hinc ortæ sunt variae sententiae.

11. Prima ergo sententia docet lucem illam primæ die factam fuisse extra omne subiectum, ac per se existentem, ac quartæ deinde die positam in corpore solari, cui inhæret. Ita sentit Basilij, qui Homil. 2. in Hexameron circa finem, & latius homil. 6. circa initium docet, primæ die productam fuisse ipsam naturam, ac formam lucis, & die quartæ productam

Aum fuisse corpus Solis, ut primogenitæ luci vehiculum esset, ideoque primam illam lucem synceram, & immateriale vocat, quia nimurum, licet esset apta inhærente corpori, ac materia, tamen nondum corpori, ac materiae inhætēbat, & erat immersa. Verba Basilij Hom. 6. sunt. Tunc enim, prima videlicet die, ipsa lucis natura producta est. Nunc autem, quarta nimurum die, solare hoc corpus, ut primogenitæ luci vehiculum sit, preparatum est. Et paulo post: sic purissima illi, ac sincera, & incorporeæ luci vehiculum nunc luminaria preparata sunt. Addit, quod licet lux sit qualitas corporis, nihilominus diuina virtute potuit existere separata à corpore. Eadem sententiam docuit Nazianzenus orat. 43. in novam Dominicam, ubi loquens de lumine prima die producto dicit. Nec verò id organicum à principio, nec mea quidem sententia, solare protulit, verè incorporeum, & Solis expers: sed posita ad orbem terrarum illustrandum Soli traditum est. Nam cum in alijs rebus hanc rationem tenuisset, ut materiam prius conderet, ac deinde eam forma conuestiret, ordine videlicet, ac figura, magnitudineque uniuicue rei impositis, hic ut maioris cuiusdam miraculi specimen ederet, formam materię priorem protulit (forma enim Solis lumen est) ac posita materiam induxit, Solem hunc nimurum dies oculum fabricatus. Idem Basilius Homil. 2. in hexam. explicans, quo puto lux illa primogenita faceret diem, & noctem, dicit. Nunc quidem deinceps post Solis generationem dies est aer ipse à Sole in hemisphærio supra terram lucente illuminatus, & nox terra umbra, occultato Sole, succedit. Tunc autem non secundum motum solarem, sed diffusa primogenita luce illa, & rursus contracta, iuxta præfinitam à Deo mensuram dies fibebat, & nox. Idem dicit Dam. lib. 2. de fide, cap. 7. Eamdem sententiam indicat Anastasius Synaita lib. 4. in Hexam. Athanasius quæst. 83. ad Antiochum, ac Theodoreus in Psalm. 48. in illa verba Laudate eum Sol, & Luna &c. Siquidem dicunt lucem fuisse factam prima die, ac die quarta fuisse positam in Sole, vel inter astra distributam.

12. Contra hanc sententiam est: nam miracula non spectant ad ordinem naturalem, sed ad supernaturalem, & sunt à Deo in confirmationem fidei; ergo non est dicendum, quod Deus in prima productione naturæ, & ordinis naturalis, in qua fides non erat confirmanda, fecerit magna, & inusitata miracula; sed productio illa lucis separata à subiecto fuisse magnum miraculum; ergo. Confirmatur ex Augustino, quilib. 2. de Gen. ad litt. dicit. Nunc enim, quemadmodum Deus instituerit naturas rerum secundum Scripturas eius nos conuenient querere, non quid in eis, vel ex eis ad miraculum potentia sua velit operari.

13. Secunda sententia docet prima die lucem creatam fuisse in corpore distincto à Sole, quod alij nubem lucidissimam, alij ignem appellant; alij dicunt solum fuisse corpus splendidissimum, sed non explicant, quale fuerit, ac Hugo Victorinus lib. 1. de Sacram. parte 1,

cap. 9. solum dicit fuisse lucidum corpus vicem Solis gerens: Petrus autem Comestor, Lyranus, & Abulensis vocant nubem lucidam: Alensis 2. parte, quæst. 46. memb. 5. art. 1. citat Bedam dicentem corpus illud fuisse nubem lucidam, quod etiam cum Magistro in 2. dist. 13. dicit Sanctus Bonaventura, art. 1. quæst. 1. Nyssenus lib. de Hist. sex dierum, Hermes apud Cyrillum lib. 2. contra Julianum, & Damasc. lib. 2. de fide, cap. 7. vocant lucem illam igneam, sicut ignem splendentem.

14. Impugnatur hæc opinio ex principijs Sancti Thomæ hoc art. 4. quæst. 67. in resp. ad 2. Nam vel corpus illud lucidum, siue fuerit nubes lucida, siue aliud corpus, remansit, postquam die quarto factus est Sol, vel non remansit, sed est corruptum, aut in præiacetatem materiam resolutum: neutrum dici potest; ergo. Probatur minor. Si enim dicatur, quod desierit esse, contra est: nam ut arguit Sanctus Thomas: Scriptura principio Genesis commemorat institutionem naturæ, qua postmodum perseverat. Vnde non debet dici, quod aliquid tunc factum fuerit, quod postmodum esse desierit. Eodem argumento vtitur Rupertus lib. 1. in Genef. cap. 10. dicens. Vide, utrum condignum sit tanta maiestati, ut ceterorum dierum opera statuerit in seculum, & in seculum seculi, preceptumque posuerit illis, quod non præteribit, opus autem prima lucis tale faceret, quod mutato consilio, post exiguum triduum funditus extinguitur. Si dicatur, quod ex corpore illo lucido factus est Sol, arguit Sanctus Thomas: nam hoc dici non potest, si dicatur corpus Solis non esse de natura quatuor elementorum, sed incorruptibile per naturam: quia secundum hoc materia eius non potest esse sub alia forma. Demum si dicatur, quod corpus illud lucidum, puta nubes lucida adhuc remanet, & est coniuncta Soli, ut ab eo discerni non possit; arguit Sanctus Thomas. Nam secundum hoc nubes illa superflua remaneret. Nihil autem est vanum in operibus Dei. Augustinus etiā lib. 1. de Genef. ad litt. cap. 13. relata opinione, quod nubes illa lucida remanerit vñita Soli, ita ut discerni non possit, eam tacite reiicit, tanquam rem superfluum, ac sine fundamento dictam. Consonat Damasc. lib. 2. de fide cap. 7. dicens. Neque verò primogenitam lucem luminaribus istis summus ille rerum opifex idcirco imposuit, quod alterius lumenis penuria laboraret. Sed nec lux illa iners, & superuacanea maneret.

15. Tertia sententia docet lucem primæ die productam non fuisse aliam, quam lucem Solis, ac iu ipso Solis corpore fuisse productam. Existimant ergo Solem creatum fuisse in primo creationis instanti simul cum coelo, ac terra, sed sine luce, post aliquod verò tempus, Deo dicente, fiat lux, datam illi fuisse lucem.

16. Contra hanc sententiam est, quia Sol naturaliter non potest villo instanti, vel tempore carere luce: ergo non potuit naturaliter, sed solum miraculose creari sine luce; sed non debet

debet dici, quod Deus in prima creatione natura fecerit miracula, præsertim non dando rebus creatis suas proprietates naturales, ut dictum est num. 13. ergo.

17. Quarta sententia, cuius primus auctor videtur Burgensis in Gen. & quam deinde sequitur Molina tract. de opere sex dierum, docet lucem primæ diei productam fuisse immediatè à Deo sine concursu causa secundæ, ac deinde quarto die, Sole producendo, conservatam fuisse à Sole. Addunt Deum diuisisse diem, ac noctem, non per motum localem Solis, vel alterius corporis illuminantis, sed per successivam productionem, & suspensionem luminis in variis partibus, eo pacto, quo productum fuisset per motum localem Solis.

18. Hæc etiam sententia laborat eadem difficultate. Nam in prima conditione natura recurrit ad miracula, & ad ea, quæ sunt præter naturam. Modus enim ille productionis luminis fuisset miraculosus, ac præter natum.

19. Quinta sententia, quam ex Dionysio cap. 4. de diuinis nominibus sequitur Sanctus Thomas hoc art. 4. quæst. 67. ad 4. docet, quod illa lux producta primo die fuit lux Solis, qui initio creatus fuerat cum cœlo, & terra, sed informis in formitate accidentalí, deinde secundo die per lucem fuit formatus, sed non ultima formatione, quam accepit quarto die, cum positus est in firmamento. Hanc sententiam existimo veram, & vt melius intelligatur, libet illam explicare, tum in sententia plurium recentiorum, qui contra Aristotelem docent cœlum non esse quintam substantiam incorruptibilem, sed esse substantiam elementarem, ac corruptibilem, tum in sententia Aristotelis, Sancti Thomæ, & Peripateticorum, quam ego in philosophia secutus sum, quæst. 16. de cœlo, qui putant cœlum, & corpora celestia esse quintam substantiam ingenerabilem, & incorruptibilem, sed capacem condensationis, ac rarefactionis accidentalis &c. Ex hac autem explicatione patebit primo, quo pacto Sol ab initio creatus fuerit informis; secundo quo pacto post aliquod tempus, minimum post sex horas, formatus fuerit per lucem; tertio quo pacto quarta die, qua positus fuit in firmamento, accepérit ultimam formationem; quarto quo pacto Deus diuiserit lucem à tenebris, ac noctem à die; quinto quo pacto fuerit facta prima dies, tum naturalis, tum artificialis; sexto quo pacto fiat intelligenda verba, quibus Moyses describit lucem prima die productam; septimo demum quænam opera, & quo ordine facta fuerint prima die.

20. Primo igitur, iuxta opinionem docentem cœlum esse substantiam elementarem, corpora habentia lucem ingenitam sunt corpora ignea, ideoque Sol est immensa quedam moles ignea; ergo Deus faciendo primam lucem, accedit ingentem molem igneam. In prima igitur creatione Deus creauerat in cœ-

lo maximam molem ignib[ile]m, sed adhuc illum non accenderat, ideoque talis moles non erat lucida, nec illuminabat, & erat Sol informis, ac proinde tenebrae erant super faciem celi, & abyssi. At cum dixit, fiat lux, accedit illam immensam molem, & sic facta est lux. In opposita sententia dicentium cœlum esse quintam substantiam ingenerabilem, & incorruptibilem, adeoque corpora celestia, lucida non esse ignea, dicendum, quod Deus ab initio creauit corpus ex se potens producere lucem, sed in tali dispositione raritatis, & confusionis cum alijs corporibus opacis, vt adhuc non haberet proximam, & expeditam potentiam producendi lucem, & illuminandij; ergo ab initio non illuminabat, ac proinde Sol erat informis, & carentes formositate lucis, & tenebrae erant super faciem cœli, & abyssi. At cum dixit fiat lux, Deus corpus illud separauit ab alijs corporibus, præsertim opacis, ac perduxit ad densitatem, & ad reliquas dispositiones requisitas ad hoc, vt haberet potentiam proximam producendi lucem, & illuminandij; ac fecit, vt illuminaret, & sic facta est lux; ergo Sol est formatus, licet non ultima formatione. Ex hoc deinde corpore in variis partes diuiso, quarta die ultimo formatus est Sol, & alia luminaria, vt explicabimus, cum agimus de opere quartæ diei, qu. 219.

21. Facta luce, & corpore luminoso, vidit Deus, quod lux esset bona, & comprehendit, ac cognovit eius bonitatem, & omnes utilitates, quas afferre potest vniuerso. Quia vero inter alias utilitates, quas corpus luminosum potest afferre, una ex præcipuis est, vt si moueat circulariter, possit causare vicissitudines dierum, ac noctium, ideo Deus fecit, vt corpus luminosum motu primi mobilis moueretur circulariter, & sic diuisit lucem à tenebris, hoc est tempus lucis, quo corpus luminosum mouetur supra horizontem, à tempore tenebrarum, quo mouetur infra horizontem, ac voluit, & fecit, vt tempus lucis, quo nimis primum luminosum mouetur supra horizontem cuiuscumque regionis, appellaretur dies, tempus autem tenebrarum, quo primum luminosum mouetur infra horizontem, appellaretur nox; siquidem Deus non solum est causa rerum, sed etiam impositionis nominum.

22. Concludit Moyses opus primæ diei, dicens: Et factum est vespero, & mane dies unus, hoc est primus. Iuxta enim phrasim hebraicam ly unus significat idem, ac primus, sicut Marci 16. dum dicitur una sabbatorum, idem significatur, ac prima die sabbatorum, seu hebdomadæ.

23. Vt autem intelligatur melius sensus horum verborum, supponendum est, quod dies artificialis est tempus, quo primum luminosum ferrum supra horizontem, ac eius principium est, cum primum luminosum apparet in oriente, quod dicitur mane, finis est, cum peruenit ad occidentem, & vocatur

vesper : nox autem artificialis est tempus, quo primum luminosum fertur infra horizontem, eiusque initium est vesper, finis est mane. At dies naturalis est integra circulatio primi mobilis, quæ fit spatio 24. horarum, & complectitur diem artificialem, & noctem artificialiem.

24. Hoc posito, sensus propositorum verborum est. Primum luminosum, quod respectu regionum, de quibus Moyses loquebatur, & propè quas sexta die conditus fuit Adam, formatum fuerat supra horizontem, adeoque fecit diem artificialem, motu primi mobilis processit ad occidentem, & sic fecit vesperam, quæ fuit finis prima diei artificialis, ac deinde per motum infra horizontem processit ad orientem, & fecit mane, quod fuit terminus noctis, & principium sequentis diei artificialis, & sic vespere, & mane facta est prima dies naturalis, hoc est prima circulatio primi mobilis.

25. Existimo tamen, quod hæc prima dies naturalis non continuerit integrum, sed dimidiata diem artificialem. Ratio est, quia ut diximus, primum mobile caput per motum facere suam circulationem statim post instantis, seu momentum creationis, antequam fieret lux, & formaretur primum luminosum; sed tunc adhuc non erat dies artificialis, quippe quæ fit per motum primi luminosi supra horizontem: ergo prima dies naturalis, hoc est prima circulatio primi mobilis incepit ante primam diem artificialem. Post quartam circiter partem circulationis primi mobilis hoc est post sex horas à creatione mundi, fecit Deus primum luminosum in meridiano regionis, in qua sexta die formandus erat Adamus, ac primum luminosum per motum primi mobilis processit ad occidentem, & sic per vesperam terminata est prima dies dimidiata artificialis sex circiter horarum, ac per motum infra horizontem primum luminosum processit ad orientem, & sic per noctem artificialem completa est prima circulatio primi mobilis, factaque est vespere, & mane prima dies naturalis. Probatur autem hæc sententia. Si enim dicamus primam diem naturalem, cuius Moyses mentionem facit, complecti integrum diem artificialem, sequeretur, quod Deus non compleuerit eponus creationis sex diebus naturalibus, sed sex, & toto tempore, quod intercessit inter creationem mundi, & formationem lucis, quod est inconveniens; ergo dicendum, quod prima dies naturalis non complectitur integrum diem artificialem; ergo primum luminosum fuit formatum, non in horizonte, sed supra horizontem, siquidem dies processit noctem; sed hæc debent intelligi de horizonte regionis, in qua conditus fuit Adam; ergo primum luminosum fuit conditum, non in horizonte, sed supra horizontem regionis, in qua sexta die conditus fuit Adam. Sed hoc posito, videtur congruentissimum, quod fuerit formatum in meridiano il-

lius regionis: ergo primum luminosum fuit conditum in meridiano regionis, in qua sexta die factus fuit Adam; sed si primum luminosum conditum fuit in meridiano illius regionis, cum processit ad orientem, absolute est integra circulatio primi mobilis, adeoque prima dies naturalis; ergo primum luminosum formatum fuit post quartam partem prima diei naturalis, hoc est sex horis post creationem mundi.

26. Infertur primò sensus propositorum verborum, qui est; creato mundo informi, & tenebroso, Deus ut per lucem auferret informitatem tenebrarum, non voce sonante, sed aeterno imperio sua voluntatis, vel intellectus practici, dixit fiat lux, & statim facta est lux. Diuina enim virtute, vel accensa est ingens moles ad hunc finem ab initio creata, & sic incepit illuminare, vel corpus aptum ad illuminandum, quod tamen non illuminabat, quia non habebat debitam densitatem, ac debitam separationem ab alijs corporibus opacis, perductum est ad debitam densitatem, & separationem à corporibus opacis, ac sic incepit lucere, & illuminare. Et videt Deus lucem, quod esset bona, aeterna sua scientia, qua comprehendit omnes perfectiones lucis, & omnes utilitates, quas allatura erat uniuerso. Et quia lux potest etiam esse utilis ad easandam vicissitudinem dierum, ac noctium, ideo Deus fecit, ut corpus luminosum motu primi mobilis moueretur circa terram, & sic diuinitus tempus lucis, quo primum luminosum mouetur supra horizontem, à tempore tenebrarum, quo mouetur infra horizontem, ac tempus lucis vocavit diem artificialem, tempus autem tenebrarum vocavit noctem artificialem. Primum luminosum, quod formatum fuerat in meridiano loci, in quo die sexta faciendus erat Adam, processit ad occidentem, & fecit vesperam, quæ est terminus diei, & principium noctis, ac deinde per motum infra horizontem processit ad orientem, & fecit mane, quod est terminus noctis, & principium diei, & sic completa est prima circulatio primi mobilis, ac prima dies naturalis.

27. Secundo potest inferri, quænam, & quo ordine fuerint facta prima die. In primo instanti, seu momento, quod est initium totius temporis, conditus fuit mundus corporalis, sed informis, & in supremo celo creati fuerunt Angeli in statu gratiae, & charitatis, ut dictum est quæst. 170. In secundo instanti, seu momento ex angelis quidam per liberum arbitrium facti sunt immutabiliter mali; quidam firmati sunt immutabiliter in bono. In tertio instanti Angeli mali cum Lucifero adiuncti sunt aeternæ damnationi, atque ex celo eiecti, detrusi sunt in infernum ipsis paratum; Angeli autem boni donati sunt visione Dei, ut dictum est quæst. 184. Post sex circiter horas factum est primum luminosum, per cuius motum ad occidentem, ac deinde ad orientem

com-

completa est prima dies naturalis, hoc est prima circulatio primi mobilis.

28. Ad 1. In quæstione, in qua queritur, vtrum Moyses initio genesis narrauerit creationem naturæ spiritualis, hoc est Angelicæ, duæ sunt sententiae. Primo Augustinus censet inconueniens fuisse, vt Moyes omiserit creationem, & formationem Angelorum, adeoque docet eorum creationem contineri illis verbis: *In principio creauit Deus cælum, & terram, formationem autem illis, fiat lux,* vt explicatum est num. 4. At Basilius, & Chrysostomus putant creationem angelorum omisam fuisse à Moyse, sed non conueniunt in ratione, propter quam omisit. Basilius Homil. 1. in Hexam. dicit Moysem omisisse creationem Angelorum, quia fuerant creati multo ante mundum, de cuius mundi creatione Moyles agebat: quod tamen est falsum vt diximus quæst. 170. Chrysostomus Homil. 2. in genesi dicit Moysem omisisse creationem Angelorum, ne populus Hebræorum rudi, & propensus ad idololatriam, sumeret occasionem adorandi Angelos, tanquam Deos. Nostra sententia euitat hoc incommodum, siquidem nu. 9. diximus Moysem narrasse creationem, & formationem Angelorum ita obscure, vt intelligeretur à sapientibus, non autem à populo rudi, ne sumeret occasionem adorandi angelos, tanquam Deos.

29. Ad 2. Iam nu. 18. dictum est cum Sanctis Dionysio, & Thoma lucem primæ diei fuisse lucem Solis, ac Solem quartæ die fuisse ultimò formatum, ac positum in firmamento, vt explicabitur quæst. 219. cum agetur de opero quartæ diei.

30. Ad 3. Dictum est nu. 23. diem naturali fieri per motum primi mobilis, quod statim post creationem cœpit moueri, dum adhuc essent tenebrae super faciem abyssi, adeoque diem naturalem incepisse ante diem artificialem, quæ incepit, cum facta est lux.

QVÆSTIO CCXVI.

¶ Vnum firmamentum factum fuerit secunda die, & diuidat aquas ab aquis, & que sunt aquæ, qua sunt supra firmamentum?

S. Th. quæst. 68. art. 1. 2. ¶ 3.

1. **V**identur firmamentum non fuisse factum secunda die: primo quia firmamentum est cœlum, ideoque Gen. 1. dicitur: *vocauit Deus firmamentum cœlum;* sed cœlum creatum est initio, & ante omnem diem, siquidem *in principio creauit Deus cœlum, & terram;* ergo. Confirmatur: nam sicut corpora elementaria, hoc est terra, & aqua creata sunt ab initio, sic cœli creati debuerunt ab initio.

2. Secundo omnia opera sex dierum for-

mata sunt ex materia prius creata; sed firmamentum, cum sit ingenerabile, & incorruptibile, debuit fieri per creationem ex nihilo, & non ex materia prius creata; ergo debuit fieri ab initio, non autem secunda dic.

3. Tertio videntur aquæ non esse supra firmamentum. Aqua enim est elementum ordinatum ad mistionem, per quam generantur mixta, & est corpus graue, & fluidum: sed elementa ordinata ad generationem mortuum non debent esse supra firmamentum, vbi nulla mixta debent generari: & corpora grauia non debent esse supra Lunam, sed infra Lunam: & demum corpora fluida non debent esse supra firmamentum, cuius superior superficies est rotunda, & conuexa: nam fluida non possunt consistere in rotundo, & conuexo, vt constat experientia; ergo.

4. Quarto videtur firmamentum non dividere aquas ab aquis. Si enim dividet aquas ab aquis, deberet ex utraque parte contingi ab aquis; sed aquæ inferiores non pertingunt vique ad partem concavam firmamenti: ergo.

5. Respondeo, quod sicut prima imperfectione mundi era imperfectio tenebrarum, sic secunda imperfectio erat confusio, per quam corpora coelestia, & elementaria erant confusa in abyssi, quæ impletar totum spatiu[m] a terra usque ad primum mobile. Deus igitur post quam prima die abstulit imperfectionem tenebrarum per productionem lucis, die secunda, vt auferret imperfectiōē confusio[n]is abyssi, dixit: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis,* ac omnipotensissima virtute, qua omnia, quæcumque ab exteriori voluit, temporibus prescriptis fecit, secundam dic, hoc est primo mobili faciente secundam suam circulationem, non ministerio Angelorum, vel alterius creature, sed per se ipsum fecit Deus firmamentum, diuisique aquas, quæ erant sub firmamento, ab ijs, quæ erant super firmamentum.

6. Ut hæc melius intelligantur, queritur primo, quid intelligatur nomine firmamenti?

Respondeo duas esse præcipias sententias. Prima Caicerani, & Pererij in Genesim, Eugubini in Cosmopœia, Lorini in psalm. 18. ad illa verba, *Et opera manuua eius annunciat firmamentum,* Pinedæ in illud Job 37. *Tu forsitan eo fabricatus es firmamentum,* Tornelli in Annalibus, Suarez lib. 2. de opere sex dierum, cap. 5. num. 7. qui dicit huic opinioni fauere Augustinum lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 4. Hieronymum Epist. 83. ad Oceanum, & exprefsius Rupertum lib. 1. in Genes. cap. 22. docet nomine firmamenti, quod aliqui ex hebræo vocant expansum, seu extensem, intelligi hunc aerem latissime expansum, vel saltu[m] aliquam eius partem, puta illam, in qua condensantur nubes, quod separat aquas superiores, hoc est contentas in nubibus, & quæ deinde resoluuntur in pluuias, ab inferioribus, quæ sunt in

636 De firmamento, & diuisione aquarum.

in terra, & mari, lacubus, fluuijs &c.

8. Secunda sententia satis communis antiquorum Patrum docet nomine firmamenti intelligi cœlum, in quo sunt stellæ, tum fixæ, tūm errantes, sive planetæ, & in quo quarta die dicitur Deus posuisse luminaria, ac stellas. Docuerunt hanc sententiam Iustinus Martyr quæst. 93. Basilius hom. 3. in Hexam. Chrysost. Homil. 4. in Gen. Hieronymus Epist. 83. ad Oceanum, Epiph. in Epist. ad Ioannem. Hierosolymitanum, Cyrus Hierosolymitanus Catech. 9. Rupertus lib. 1. in Gen. cap. 23. & sequ. Hugo de S. Vict. lib. de Sacram. par. 1. cap. 17. & adnotat. in Gen. Richardus de Sancto Victore in traditu except. lib. 2. cap. 8. & alii. Sanctus autem Thomas hoc articulo refert, & problematicè defendit utramque sententiam.

9. Existimo cum communi sententia Patrum, nomine firmamenti intelligi cœlum, in quo sunt stellæ, tum fixæ, tūm errantes, sive planetæ.

Probatur: nam Gen. 1. dicitur: *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, ut præ esset diei, & luminare minus, ut præcesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento cœli;* ergo hoc est firmamentum, de quo paulo ante dictum est: *Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum;* sed cœlum, in quo Deus quarta die posuit Solem, Lunam, ac stellas, est cœlum planetarium, & sydereum incipiens à cœlo Lunæ, & terminatum ad cœlum, in quo sunt stellæ fixæ; ergo nomine firmamenti intelligitur cœlum sydereum, & planetarium, incipiens à cœlo Lunæ, & terminatum cœlo sydereo, in quo sunt stellæ fixæ.

10. Queritur secundo, ex qua materia factum fuerit firmamentum?

Respondeo, quod factum fuit vel ex materia elementari, ac præsestit ex aquis, iuxta opinionem dicentium cœlum esse elementum, aut constare ex nostris elementis, vel ex quinto corpore cœlesti, iuxta opinionem dicentium cœlum esse quintam substantiam simplicem. Porro si totum cœlum sydereum, & planetarium est solidum, Deus fecit hoc firmamentum ex corpore elementari, vel quinta substantia per condensationem perducto ad soliditatem: si totum est fluidum, fecit ex eodem corpore perducto ad debitam fluiditatem: si vero partim est solidum, partim fluidum, fecit ex corpore elementari, vel ex corpore quinta substantia, partim solidato, partim attenuato. Conformatior tamen Scriptura videtur opinio docens firmamentum saltem secundum extremitates, quæ sunt cœlum Lunæ, & cœlum stellarum fixarum, esse solidum, vt sic tanquam solidissimus murus separaret aquas, quæ sunt supra firmamentum, ab aquis, quæ remanerunt sub firmamento, hoc est sub cœlo Lunæ. Et confirmatur hoc ipsum ex nomine firmamenti, quo utitur lectio vulgata, & correspondet

græco nomini *stereoma*, quo vñi sunt stuprati interpretes. Hanc verò opinionem de soliditate colorum supponit ut certam Eliu unus ex amicis Iob, cap. 37. dicens. *Tu forsitan cum eo fabricatus es Cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt?* Aliqui ex hebreo loco firmamentum legunt extensem, seu expansum, ideoque alludens ad hoc nomen expansum sive extensem David psal. 104. de Deo dixit: *Qui extendit cœlum, sicut pellim; sed etiam quod extenditur ad modum pellis est solidum:* ergo etiam nomen expansi separantis aquas ab aquis importat soliditatem, saltē secundum extremitates.

11. Queritur tertio, quid intelligatur nomine aquarum superiorum, & inferiorum?

Respondeo, quod nomine aquarum superiorum, & inferiorum iuxta opinionem dicentium cœlum esse corpus elementare, intelliguntur aquæ elementares, & eiusdem rationis, quæ per firmamentum factum in medio aquarum ita sunt diuisæ, vt pars aquæ remanserit sub cœlo Lunæ, pars supra cœlum stellarum fixarum, atque occupauerit totum spatum interceptum inter firmamentum, & primum mobile, ac plerique putant aquas constitutas supra firmamentum fuisse densatas ad modum crystallinum. Iuxta opinionem, afferentem cœlum esse quintam substantiam, nomine aquarum superiorum intelligitur corpus cœleste, quod propter maximam perspicuitatem, analogice dicitur aqua, licet species differat ab aqua elementari, sicut cœlum beatorum propter maximam claritatem vocatur empyreum, hoc est igneum, licet species differat ab igne elementari. Per firmamentum igitur separata sunt aquæ cœlestes ab elementariis, & aquæ elementares remanserunt sub cœlo Lunæ, aquæ cœlestes occuparunt spatum interceptum inter cœlum stellarum, & primum mobile, ac de aquis celestibus loquitur David, dum psal. 148. dicit: *aqua omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Autores vtriusque sententiae, tum quæ affirmat aquas positas supra firmamentum, esse elementares, tum quæ id negat, videri possunt apud Suan. lib. 2. de opere sex dierum cap. 4.

12. Ex his potest inferri sensus positiorum verborum, qui est. Ablata à mundo imperfectione tenebrarum per formationem lucis, vt auferret Deus imperfectionem confusionis elementorum cum corpore cœlesti, secunda die dixit: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis:* ac sua omnipotenti virtute Deus non per Angelos, sed per se ex corpore elementari, vel ex quinto corpore cœlesti condensato, atque ad debitam soliditatem perducto, fecit firmamentum, hoc est cœlum planetarium, ac sydereum, quod incipit ab orbe lunari, in quo quarto die posuit Lunam, & terminatur orbe, in quo eodem quarto die posuit stellas fixas, & per hoc fir-

ma.

mamentum diuisit aquas inferiores, atque elementares, quæ remanserunt sub firmamento, ab aquis superioribus, vel elementaribus, vel non elementaribus, sed quintæ substancialiæ, ac solum analogicè conuenientibus cum aquis elementaribus, quæ remanserunt in spatio intercepto inter orbem stellarum fixarum, & primum mobile. Et quia nihil est, quod diuinæ voluntati, & actioni possit resistere, ita ut impedit, quo minus consequatur effectum, factum est ita, adeoque factum est firmamentum, ac diuisio aquarum inferiorum à superioribus, ac Deus firmamentum appellat cœlum. Dum autem hæc fierent, primum luminosum ab oriente motum est ad occidentem, ac vespere terminauit diem artificialem, atque ab occidente rediit ad orientem, ac mane terminauit noctem artificialem, & sic post secundam circulationem primi mobilis facta est secunda dies naturalis à creatione mundi.

13. Ad 1. distinguo minorem: cœlum creatum est initio, & ante omnem diem, sed informe, & non omnino formatum, concedo: creatum est, & omnino formatum, nego minorem; & nego consequentiam. Sicut Deus ab initio creauit mundum inferiorem informem, ac deinde sex diebus formauit, & ornauit, sic cœlum creauit quoad aliquas partes informe, ac deinde formauit, & ornauit. Cœlum igitur sydereum, ac planetarium creatum est informe, ac deinde quarta die formatum est, faciendo firmamentum, & ponendo in eis luminaria, ac stellas, ut explicatum est num. 10. Plures circa hoc punctum sententias vide apud S. Thomam art. 1. quæst. 68. ad 1.

14. Ad 2. ex ea, quod firmamentum, cum sit corpus ingenerabile, & incorruptibile, non potuerit secunda die fieri ex materia prius creata, respondeo, quod iuxta sententiam afferentem firmamentum esse corpus elementare, vel compositum ex elementis, potuit secunda die fieri ex materia elementari etiam per transmutationem substancialiæ. Iuxta opinionem afferentem, quod est quinta substantia ingenerabilis, & incorruptibilis, potuit secunda die ex materia cœlesti accidentaliter formari, materiam illam condensando, & indurando absque vila transmutatione substanciali, ut dictum est num. 10.

15. Ad 3. iuxta sententiam dicentem aquas positas supra firmamentum esse celestes, & incorruptibiles diversæ speciei ab elementaribus, ac vocari aquas propter maximam perspicuitatem, tales aquæ non sunt graues, sed leues, ac proinde sunt supra firmamentum, tanquam in suo loco naturali, ac non ordinantur ad generationem substancialiæ misteriorum. Rursus si sūt durata ad modum crystalli, non sunt fluidæ, & etiā essent fluidæ, possent quiescere in superficie conuexa firmamenti, sicut aqua elementaris fluida ab initio creationis quiescebat in superficie conuexa terræ;

Iuxta sententiam autem, quæ assertit aquas positas supra firmamentum esse elementares, cum dicatur totum cœlum esse corpus elementare, vel ex elementis compositum, aquæ illæ sunt ita tenues, ut sint leuiores, vel minus graues firmamento constante ex aquis condensatis, ideoque possunt esse supra firmamentum, tanquam in loco naturali aquarum sic attenuatarum.

16. Ad 4. Ut firmamentum diuidat aquas ab aquis, non est necesse, ut sicut aquæ superiores contingunt eius superficiem conuexam, sic inferiores attingant eiusdem superficiem concavam, sed sufficit, ut firmamentum impedit, ne aquæ inferiores possint ascendere supra firmamentum. Addit Santos Thomas art. 3. quæst. 68. quod Moyses propter invisibilitatem aeris, & similitudinem corporum, omnia huiusmodi corpora sub aquæ nomine comprehendit, & aqua in hoc sensu attingit superficiem conuaciam firmamenti.

QVAESTIO CCXVII.

Vtrum sit unum tantum cœlum?

S.Th. quæst. 68 art. 4.

1. **Q**uartetur primò, quid de hoc punto docuerint Patres?

Respondeo Chrysostomum Homil. 4. in Genesim existimasse dari unum tantum cœlum. Fundamentum fuit, quia Scriptura dicens, In principio creauit Deus cœlum, & terram, sicut unius tantum terræ, sic unius tantum cœli mentionem fecit. Verba Chrysostomi sunt. Et quomodo dicunt aliqui esse multos cœlos? Non ex diuina Scriptura hoc didicerunt, sed ex suis opinionibus, ut ita dicant, impelluntur. Beatus autem Moyses nihil his amplius docet. Nam ut dixit: In principio creauit Deus cœlum, & terram &c. Quia vero psalm. 148. dum dicitur laudate eum cœli cœlorum, videntur ponи plures cœli, respondet: Dicunt, qui eius lingua gnari sunt, cœli nomen plurali numero ab Hebreis vocari, quod consentitur quia & Syrorum linguam sciunt. Et nemo ea lingua dicit cœlum, sed cœli, & idcirco à B. David dictum cœli cœlorum, non quod multi sunt cœli: non enim hos docuit B. Moyses: sed quia mos est lingua hebreorum unam rem nominare plurali numero.

2. At Basilius Homil. 2. in Hexameron dicit dari plures cœlos. Relata enim, & reiecta opinione quorundam philosophorum, qui dicebant impossibile esse, ut derit secundum cœlum, siquidem in primo consumpta est tota materia circulariter mobilis, quam putabant esse incretam, & ingenitam, subdit. Nos autem in tantum absimus ab eo, ut de secundo dubitemus, ut etiam tertium inquiramus, cuius aspectu B. Paulus dignus factus est. Psalmus porrò 148. celos cœlorum nominans etiam plurium notionem nobis induxit. Neque verò haec magis impinata sunt, quam septem circuli, in quibus septem stellas

638 De cœlo vno. vel pluribus.

*P*ellas ferri pene omnes confone confitentur &c. Basiliū sequitur Damascenus lib. 2. de fide, cap. 7.

3. Sanctus Thomas hoc art. 4. relatis his duabus opinionibus, dicit. Sed hæc diversitas magis est in voce, quam in re. Nam Chrysostomus unum cœlum nominat totum corpus, quod est supra terram, & aquam. Nam etiam aues, quæ volant in aere, dicuntur proper hoc volutres celi. Sed quia in isto corpore sunt multa distinctiones, propter hoc Basilius posuit plures cœlos.

4. Quæritur secundo, quot modis cœlum dicatur in Scripturis, & quot cœli assignentur à quibusdam Patribus secundum singulos modos?

Respondet Sanctus Thomas hoc art. 4. quæst. 63. cœlum in Scripturis dici tripliciter. Primo propriè, & naturaliter, in quantum distinguitur ab hoc mundo inferiori, & elementari; secundo latè in quantum includit etiam corpora elementaria, quæ participant aliquam proprietatem cœli, nimirum sublimitatem, & lumen actu, vel potentia, eo quod sunt corpora diaphana; tertio metaphoricè.

5. Nomine cœli propriè, & naturaliter sumpti, intelligimus corpus sublime, lucidum actu, vel potentia, incipiens ab astris, & protensus usque ad finem mundi, quod cœlum iuxta Peripateticos est incorruptibile. Iuxta hanc acceptiōem ponit solent tres cœli. Primum, & altissimum totaliter lucidum, quod vocatur empyreum, de quo actum est quæst. 213. secundum totaliter diaphanum, ac transparens, ac non terminans visum, quod vocant cœlum aqueum, vel crystallinum, constitutum ex aquis, quæ sunt supra firmamentum, de quo actum est quæst. 216. num. 11. Tertium incipiens a firmamento, protensus usque ad Lunam, quod vocant sydereum. Hoc est partim lucidum actu, ac terminans visum, siquidem Sol, Luna, & sydera sunt lucida actu, ac terminant visum; partim est diaphanum, seu transparens, & visum non terminans. Cœlum sydereum communiter dividitur in octo spheras, quæ dicuntur etiā octo cœli, nimirum in sphera stellarum fixarum, & in septem spheras septem planetarum, hoc est stellarum errantium. Sed de numero, motibus, fluiditate, vel soliditate, & corruptibilitate, vel incorruptibilitate sphærarum, & corporum cœlestium, est quæstio partim phylaca, partim astronomica, ac de ea quedam dixi in Philosophia, quæst. 6. & 7. de cœlo, & mundo.

6. Nomine cœli latius sumpti, in quantum includit etiam corpora elementaria, quæ participant aliquam proprietatem corporum cœlestium, nimirum sublimitatem, & lumen actu, vel potentia, hoc est perspicuitatem, intelligimus totum spatiū à globo, terra, quo usque ad finem mundi. Iuxta hanc acceptiōem Damasc. lib. 2. de fide, cap. 7. ponit tres cœlos: aereum, quod incipit à globo terreo, & protenditur usque ad cœlum Lunæ; sydereum, quod incipit à sphera Luna;

& protenditur usque ad illud, quod Apostolus 2. ad Corinthios 12. vocat tertium cœlum, & nos vocamus Empyreum; & demum ipsum in cœlum empyreum.

7. Quia cœlum aereum continet duo elementa, nimirum aerem, & ignem, & singula elementa continent duas regiones, ideo Rabanus in cap. 1. Genes. cœlum aereum dividit in quatuor cœlos. Superiorē regionē ignis contiguam cœlo lunari vocat cœlum igneum: inferiorem regionē ignis contiguam aeri vocat cœlum Olimpium: superiorē regionē aeris vocat cœlum ethereum: inferiorem regionē aeris contiguam orbi terreo vocat cœlum aereum. Quibus addendo cœlum sydereum, crystallinum, & empyreum numerantur septem cœli corporei. Sed de loco ignis elementaris egi in philosophia in tractatu de elementis quæst. 40. de regionibus aeris quæst. 43. in resp. ad 4.

8. Nominē cœli metaphoricē sumpti primò intelligitur ipsa Trinitas diuinarum Personarum propter eius spiritualē sublimitatem, & lucem, ideoque aliqui illud, quod Isa. 14. dicitur sub persona Luciferi, ascendam in cœlum, ac ero similis altissimo, explicant ita, ut sensus sit, ascendam ad aequalitatem Dei. Secundo spiritualia dona propter eorum eminentiam vocantur cœli: ideoque S. Augustinus lib. 1. de Serm. Domini in Monte, cap. 9. verba illa: merces vestra multa est in cœlis, explicat ita, ut sensus sit, merces vestra multa est in donis spiritualibus. Tertio tres cœli dicuntur tria genera spiritualium visionum, nimirum corporales, imaginariæ, & intellectuales, ideoque Augustinus lib. 12. de Genes. ad litt. cap. 28. & 29. dicit Paulum raptum esse usque ad tertium cœlum, in quantum raptus est ad visionem quandam intellectualem.

9. Potest queri, quarè cum terra sit una tantum, dentur plures cœli?

Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 1. rationem esse, quia terra comparatur ad cœlum, sicut centrum ad circumferentiam; sed circa unum centrum possunt dari plures circumferentiae, quarum una sit intra aliam: ergo non est inconveniens, quod circa terram unam dentur plures cœli.

10. Quæri potest secundo, in quo sensu Aristoteles lib. 1. de cœlo textu 95. dicat esse unam tantum cœlum, quia constat ex tota materia.

Respondet Sanctus Thomas Aristotelem eo loco nomine cœli intelligere universitatem creaturarum materialium, & corporarum, quæ manifestè includit totam materiam, & est una tantum. Addo Basiliū Homil. 3. in Hexameron referre, & irridere aliquos philosophos, qui dicebant materiam non creari a Deo & inserviant non posse Deum facere, nisi unum cœlum, quia tota materia absumpta est in uno cœlo. Contra hos dicit Basilus. Videntes bullas propter similem causam fieri, tum unam, tum multas, dubitant de cœlis pluribus, an sufficiat opificialis potentia ip-

sue

sos ad esse producere: quorum robur, & magnitudinem nihil differre putamus à cana humiditate, que in salientibus aquis super inflatur, si ad excellentiam potentie Dei resixerimus.

11. Quæri potest tertio, in qua ratione communi conueniant celi primo, & secundo modo dicti?

Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 3. quod conueniunt in hoc, quod sint aliquid sublimis, & luminosum actu, vel potentia, ut dictum est nunc.

QVÆSTIO CCXVIII.

Vixum congregatio aquarum, & productio plantarum conuenienter dicantur facta die tertio?

S. Thom. quæst. 69. art. 1. & 2.

1. Primo videntur aquæ tertia die non posuisse congregari in unum locum. Terra enim erat tota aquis cooperata; ergo non erat locus, in quo aquæ congregarentur.

2. Secundo si aquæ fuissent congregatae in unum locum, omnes aquæ essent continuae, quod est falsum, & contra experientiam, quia constat dari lacus, & maria, præsertim Caspiū, quorum aqua non continuatur cum alijs aquis.

3. Tertio aquæ fluminum naturaliter fluunt ad mare; ergo non indigerunt diuinæ præcepto, ut congregarentur in unum locum, hoc est in mare.

4. Quarto productio planarum videtur non fuisse conuenienter facta tertio die. Ideo enim animalia non sunt facta tercio die, quia non pertinent ad opus distinctionis, sed ad opus ornatus; sed etiam productio plantarum non pertinet ad opus distinctionis, sed ad opus ornatus; ergo non debuit fieri tertia die, qua factum est opus distinctionis.

5. Respondeo, quod *tertia imperfæcio mundi* erat *confusio elementorum*; per quam terra erat *vndique testa aquis*, adeoque *inhabitabilis*, aquæ vero erant ita, *confusa cum alijs duobus elementis aeris, & ignis*, ut constituerent abyssum, quæ impletat *totum spatum interceptum inter terram, & cœlum*, in quo cœlo *quarta die posita fuit Luna*. Deus igitur, postquam secunda die per productionem firmamenti diuisit aquas superiores ab inferioribus, ut *tertia die auferret confusione elementorum*, dixit æterni suo imperio: *congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida*. Et factum est ita. Deus *nimirum omnipotenti sua virtute* *tertia die exequens* id, quod ab æterno decreuerat, aperuit in globo terræ *ingentes concavitates oceanii, & lacuum* atque ex terra ex ijs *concavitatibus egesta*, constituit *aggeres montium, & collium, atque aquam*

ad debitam densitatem perdutam in apertis cōcauitatibus congregauit, ac proinde ex aquis emersit arida, partim erecta in montes, & colles, partim depressa in valles prout requirebatur ad habitationem hominum, & animalium. Totum vero spatum interceptum inter globum terraueum, & cœlum lunare occuparunt duo elementa, aeris, & ignis in debitam raritatem diffusa. Duobus deinde elementis nomen Deus imposuit, atque aridam vocavit terram, congregations autem aquarum vocavit maria. Aliorum duorum elementorum, aeris nimirum, & ignis, non facit Moyles expressam mentionem, quia vt diximus supra, rudi populo loquebatur, cui duo haec elementa propter parvum ipsorum sensibilitatem parum sunt nota, ideoque vulgus spatum interceptum inter terram, & cœlum existimat vacuum. Ablata confusione corporum, ac tum elementis, tum aquis cœlestibus dispositis, prout requirebatur ad productionem, vitam, & conseruationem animalium, ac plantarum, Deus æterna sua scientia vidit, quod bona effectu talis diuissio, ac comprehensiōne cognovit omnes eius utilitates. Quia vero Deus secunda die opus distinctionis inchoauit, tertia vero die perfecit, ideo Deus dicitur hoc opus approbat, non secunda die, cum adhuc erat imperfectum, sed tertia die, postquam illud perfecit.

6. Inferitur, quid dicendum sit de alijs sententijs. Prima sententia est Augustini, qui lib. 1. de Genes. contra Manichæos, cap. 5. & 12. & in opere imperfecto de Genes. ad litt. cap. 15. & lib. 4. cap. 22. & 34. suppositis suis principijs, quod nimirum sex dies creationis mundi non fuerint materiales, sed intellecuales, desumpti ex cognitionibus Angelorum, & quod omnia fuerint in eodem instanti producta, & formata, ita vt informitas solū natura præcesserit formationem, docuit, illis verbis, *congregentur aquæ in unum locum, & appareat arida*, significari formationem substantialiē terræ, & aquæ. Hanc sententiam Augustini explicat Sanctus Thomas hoc art. 1. quæst. 36. Ex auctoribus etiam, qui docuerunt hos sex dies esse naturales, & opera eorum facta fuisse cum successione temporis, aliqui censuerunt hac tertia die terram, & aquam fuisse substantialiter productas in suis stiribus, in quibus ita essent dispositæ, ut aquæ essent congregatae in unum locum, & terra visibilis appareret. Ita sensit Philo lib. de opificio mundi, Nyssenus in historia sex dierum, & Abulensis in Genes. qui etiam aerem, & ignem putant hoc tertio die fuisse producta. Consentit Sanctus Bonaventura in 2. dist. 14. par. 1. dub. 3. Magister ibidem, & Hugo Victorinus lib. de Sacr. p. 1. cap. 21.

7. Nos huic opinioni non possumus acquiescere, quia ex una parte supponimus cum communi sententia Patrum, opera sex dierum facta fuisse successiōne, sex diebus naturalibus: ex alia parte Scriptura dicens, *In principio creauit*

640 De mari, ac de productione plantarum

uit Deus celum, & terram, & addens spiritus Domini ferbatur super aquas, tatis exprimit terram, & aquam quoad substantiam, & formas substantiales producetas fuisse ab initio, tertia autem die aquas iam initio productas congregatas fuisse in unum locum, terram autem, quæ quia tegebatur aquis, erat innubilis, amotis aquis, apparuisse.

8. Posito, quod aquæ tercia die non fuerint substantialiter productæ, sed illæ eadem, quæ operiebant totam superficiem connexâ terræ, fuerint congregatae in unum locum, quæritur, quo pacto sunt congregatae in unum locum. Secunda ergo sententia docet, quod absque eo, quod aperirentur in terra vilæ concauitates, & absque eo, quod aquæ condensarentur, vna pars aquæ, quæ operiebat unam partem superficie terræ, elevata fuerit, & superposita alteri parti, quæ operiebat alteram partem superficie terræ, & sic vna pars superficie terræ remanserit discooperta, & apparuerit. Hanc sententiam sequuntur Burgensis, Carthusianus, & Catharinus in Genesim, & insinuant Basilius Hom. 4. in Hexam. & Amb. lib. 3. Hexamer. ac Sanctus Thomas hac quæst. 69. art. 1. ad 2. dicit esse probabiliorum ceteris opinionibus, & additum mare esse altius terra, ut experimento compertum est in mari rubro, ut Basilius dicit Hom. 4. in Hexameron.

9. Nos neque huic sententia possumus acquiescere. Cum enim aqua ante congregationem operiter superficiem terræ, ac proinde esset altior, & a centro remotior, quam superficies terræ, illa pars aquæ, quæ adhuc est altius elevata, & superposita alteri parti, suauitatem gravitatem defueret, & sic operiter superficiem terræ: siquidem aqua naturaliter defluit in declive. Rursus mare esset altius terra, quod est falsum; alioquin flumina dum ex terra fluunt ad mare, non decederent, sed ascenderent. Videri possunt quæ de hoc puncto cum communī sententia philosophorum, & mathematicorum diximus quæst. 3. de celo, & mundo, & in meteorologis quæstion. 65.

10. Propter hæc, & alia argumenta aliqui fatentur aquas maris propter suam gravitatem naturaliter debere defluere, ac operiter superficiem totius terræ, sed miraculosè detineri diuino imperio. Hoc autem miraculum dicunt insinuari à Scriptura. Nam Job. 38. dicitur de mari: Circumdedi illud terminis meis, & posui vestem, & ostia, & dixi: usque hic venies, & non procedes amplius, & hic confringes iumentes fluctus tuos. Proverb. 8. & legem ponebat aquis, ne transirent fines tuos. Psal. 103. Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram. Psal. 32. Congregans in ore aquas maris. Ierem. 5. Posui avenam terminum mari, præceptum semipermanentem quod non præteribit. Ecclesiast. 39. In verbo eius stetit aqua, sicut congeries, & in sermone oris illius, quasi exceptoria aquarum, maria nimium, & lacus, & flumina clausa suis littoribus sunt exceptoria aquarum, & yeluti quædam vas a aquas excipiendas, & intra se continentas.

11. Contra hanc doctrinam opponi potest

id, quod Sanctus Thomas quæst. 68. artic. 2. ad 1. obiicit contra eos, qui dicebant, quod aquæ, quamvis sint naturaliter graues, virtute tamen divina super celos continentur. Verba Sancti Thomæ hanc doctrinam impugnantur. Hanc solutionem Augustinus excludit lib. 2. de Genesi ad literam, cap. 1. dicens, quod nunc quemadmodum Deus instituit naturas rerum, conuenit querere, non quid in eis ad miraculum sua potentia velit operari. Addoloca Scripturæ adducta non probare, quod Deus miraculosè detinet aquas, ne defluant supra terræ superficiem, tamque operiant, sicut operiebant ab initio, sed potius insinuare, quod Deus ita illas congregaret, & incluserit littoribus maris, quasi manibus, ut naturaliter non possint ex iis egredi, & operire terram. Quid enim aliud significant verba illa Job. 38. vbi Deus loquens de mari dicit: Conclusi illud terminis meis, & posui vestem, & ostia, & dixi: usque hic venies, & non procedes amplius, & hic confringes iumentes fluctus tuos, quam conclusi mare terminis littorum, quasi muri, & muros istos clausi veuste, & ostia, ita ut non possint à mari aperiri, vel pertrumpi, & dixi, usque huc, hoc est usque ad littora venies, & non procedes amplius, & hic, nimium in littoribus confringes iumentes fluctus tuos. Hec est lex naturalis, quam ut dicitur Proverb. 8. Deus posuit aquas, ne transirent fines suos, hoc est littora altiora, quibus clauduntur. Hæc littora sunt termini, quos aquæ maris non transgredientur, neque conuertentur operire terram, ut dicitur Psal. 103. Intrâ maris littora, quasi intra quendam virem, congregauit Deus aquas maris, ut dicitur Psal. 32. Posuit arenam altiorum littorum terminum mari cum præcepto semipermanente non pertransendi tales arenas, ut dicitur Ierem. 5. Demum, ut dicitur Ecclesiast. 39. In verbo Dei stetit aqua, quasi congeries, & in sermone oris illius, quasi exceptoria aquarum, maria nimium, & lacus, & flumina clausa suis littoribus sunt exceptoria aquarum, & yeluti quædam vas a aquas excipiendas, & intra se continentas.

12. Tertia sententia, quam etiam ut probabilem proponit Sanctus Thomas hoc art. 1. quæst. 69. ad 2. docet aquam, quæ erat rario, & sicut nebula tegebatur terras, condensata esse, & sic condensatam texisse illam tantum partem terræ, quæ de facto tegitur mari.

Contra hanc sententiam est, quia si illa major raritas, quæ aqua erat rara ad modum nebulae, non erat aquæ naturalis, incidimus in absurdum, quod Deus creans naturam constituerit aquam in statu non naturali: si erat naturalis, ergo dum aquam condensauit, operatus est contra naturam aquæ, ac proinde recidimus in idem inconveniens. Rursus sicut aqua totam terram operiens erat altior terra, sic pars illa aquæ, quæ etiam nunc terram operit, esset altior terra, ac proinde naturaliter deberet descendere ad terram operiendam, & requiritur miraculum, ut non operiat,

12. Su-

13. Superest igitur quarta sententia, quam codem art. 1. quæst. 69. vt probabilem refert Sanctus Thomas, ac nos num. 5. secuti sumus, & explicauimus, docens, quod Deus aperuit in terra aliquas concavitates, quibus confluentes aquæ reciperenrunt. Hanc opinionem sequitur Suarius lib. 2. de opere tex dierum, cap. 2. num. 15. ac pro ea citat Augustinum lib. 1. de Genesi ad litt. cap. 12. & Damasc. lib. 1. de fide cap. 9. & 10. & Bedam in Hexam. Verba Damasceni clarissimè nostram sententiam docentis sunt. Dnuino igitur iussu concavitates in terra factæ sunt, & sic in congregations suas conuenient aquæ. Hinc etiam & montes facti sunt.

14. Quarta imperfectio mundi sita erat in eo, quod terra erat inanis, & vacua, ita ut nullis mineralibus, vel metallis ditata esset in profunditate, nullis herbis, aut plantis testa, & vestita in superficie. Deus igitur hanc etiam imperfectionem ablatus, dixit; Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens si uult iuxta genus suum, cuius semen in semetipsa sit super terram, ut nimirum unaquaque herba, & uolum quodque lignum pomiferum, & unaquaque arbor, & planta per proprium semen possit generare sibi simile in specie, prout requiritur ad conseruationem, & propagationem speciei. Et factum est ita, & protulit terra herbam virentem &c. & vidit Deus, quod esset bonum, & primo mobili completere suam circulationem, factus est vespere, & mane dies tertius.

15. Pro explicatione, queritur primò, utrum plantæ tertio die producunt fuerint secundum esse formale, an solùm secundum esse virtuale, quod habent in suis seminibus, & virtutibus seminalibus.

Respondet Sanctus Thomas artic. 2. quæst. 69. duas esse sententias. Prima Augustini lib. 5. de Gen. ad litt. cap. 4. & 5. & lib. 8. cap. 3. docet plantas tertia die productas esse solùm secundum esse virtuale, ac proinde tetrarum dici produxisse herbas, & plantas, quia accepit virtutem illas producendi.

16. Secunda sententia communis Patrum, & Interpretum, nimirum Basili Homil. 5. in Hexam. Ambrosij lib. 3. Hexam. cap. 8. 11. & 16. Chrysostomi Homil. 5. in Gen. Damasc. lib. 2. de fide, cap. 10. Theodoreti, Cyrilli, Bedæ, & Glosæ ordinariæ in Gen. & aliorum, quam refert, & sequitur Suar. lib. 2. de opere sex dierum, cap. 7. num. 2. docet herbas, plantas, arbores, & alia vegetabilia producta fuisse secundum esse formale, quod habent in propria specie, ac non solùm secundum esse virtuale, quod habent in suis seminibus. Hanc etiam sententiam videtur sequi S. Thomas hoc art. 2. quæst. 69. licet propter reuerentiam Augustini in hac, & similibus quæstionibus procedat problematicè.

17. Existimo veram secundam sententiam. Probatur primò ex illis verbis Scripturarum: Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens

fructum, & habens uolum quodque semen secundum speciem suam: sed semen herbæ virentis non est herba virens, semen ligni non est lignum faciens fructum: ergo. Confirmatur: nam quinta die Deus produxit pīces, & volatilia, & sexta die animalia terrestria, & hominem, non solùm in seminibus, sed in propria specie: ergo tertia die produxit herbas, & plantas, non solùm in seminibus, sed in propria specie. Ideo dicitur: Creavit Deus cetera grandia, & omnem animam viventem, & omne volatile, & additur: Benedixitque eis Deus dicens: crescite, & multiplicamini &c. quæ non conuenient seminibus, sed animalibus in propria specie.

18. Probatur secundo ratione, quam affert S. Thomas. Nam ad opus creationis mundi perfecti spectat, ut producantur species plantarum, & animalium: quod verò species propagantur, & conseruentur, producendo sibi simile per semina, spectat potius ad opus gubernationis, & conseruationis rerum: ergo Deus sex diebus creationis debuit producere res in proprijs speciebus, ac non solùm in seminibus.

19. Opponit Augustinus: Gen. 2. habetur: In die, quo fecit Dominus celum, & terram, & omnem virgulum agri, antequam orirentur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret; sed virgulta non potuerunt fieri, antequam orirentur in terra, & herbae, antequam germinarent, nisi fierent solùm virtualiter in semine: ergo.

Respondet Sanctus Thomas artic. 2. quæst. 69. Deum fecisse virgulum agri, antequam orirentur in terra, & herbam, antequam germinaret, quia produxit illa per modum creationis, priusquam ordinario modo possent oriri ex terra.

20. Non tamen negamus Deum, dum dixit, germinet terra, dedisse terræ virtutem seminalē producendi continua successione, herbas, & plantas, sed asserimus non solùm dedisse hanc virtutem, sed etiam produxisse herbas, ac plantas, ut explicatum est. Probabile autem mihi est: alias cum floribus, prout postulabat perfectio mundi, & varietas regionum. Ideo Sanctus Thomas quæst. 70. art. 2. ad 5. dicit: Herba facta sunt in sua perfectione facientes semen: similiter animalia, & homo. Licet enim naturali processu ab imperfecto ad perfectum deueniatur, simpliciter tamen perfectius prius est imperfecto. Augustinus tamen lib. 2. de Genes. ad litt. cap. 15. hoc non asserit, quia dicit non esse inconveniens, quod Deus imperfecta fecerit, quæ postmodum ipse perficerit. Videri potest Suar. lib. 2. de opere sex dierum, cap. 7. num. 15. & seq.

21. Queritur secundò, utrum omnes, vel aliquæ tantum species plantarum, & herbarum fuerint productæ tertia die?

Respondeo, quod auctores communiter docent productas fuisse omnes species arborum,

M m m m r u m,

642 De mari, ac de productione plantarum.

rum, plantarum, & segetum, & olerum perfectorum, quae spectant ad perfectionem uniuersitatis, & propagari debent per semina ab ipsis decisa. Probabile vero est non omnes productas ubique sed in regionibus vniuersitatis proportionatis. Probabile rursus est herbas, & plantas, quae oriuntur ex putre, vel ex commissione seminum, non fuisse productas secundum esse formale, sed secundum esse virtuale, quod habuerunt in suis causis æquivalentes, à quibus tonaturaliter nascuntur, vel per putrefactionem, vel per seminum commissione.

22. Dubitatur, an quædam herbae, & plantæ venenosæ ac hominibus noxiæ producere suerint hac tertia die. Prima sententia negat. Secutus est hanc opinionem Augustinus lib. 2. de Gen. contra Manichæos, cap. 13. Allata enim obiectione Manichæorum: Si Deus iussit nasci de terra herbam pabulum, & lignum fructiferum, quis iussit nasci tantas herbas, vel spinosas, vel venenosas? Respondet: Dicendum est, quod per peccatum hominis terra maledicta sit, ut spinas pareret &c. Herba autem venenosæ ad paenam, vel exercitationem mortalium creata sunt, & hoc totum propter peccatum &c. Concludit. Ante peccatum ergo hominum non est scriptum, quod terra aliud prouulerit, quam herbam pabuli. Post peccatum autem videmus multa horrida, & infelixia de terra nasci, credo propter eam causam, quam diximus. Sic enim dicitur ad primum hominum post peccatum Gen. 3. Maledicta terra in opere tuo &c. spinas, & tribulos germinabit tibi. Eandem sententiam saltem quoad spinas, & tribulos docuerunt Basilius Homil. 5. in Hexam. Ambrosius lib. 3. in Hexam. cap. 9. & 11. Beda, & Rabanus in Gen. Damasc. lib. 2. de fide, cap. 10. & Alcuinus quæst. 78. in Genes. Addunt ante peccatum, etiam rosas fuisse sine spinis.

23. Secunda sententia communis Theologorum, & Interpretum Scripturæ docet tertia hac die productas à Deo fuisse etiam spinas, tribulos, aliasque herbas, ac plantas noxias, & venenosas. Hanc sententiam, priori retractata, secutus est S. Augustinus lib. 3. de Genes. ad literam, cap. 18. Addit, quod idcirco Deus Ada dixit, Spinæ, & tribulos germinabit tibi, non quod alijs locis hac ante nascerentur, & post in agris, quos homo ad capiendas fruges celeret, sed prius, & post in iisdem locis, prius autem non homini, post autem homini, ut hoc significetur, quod additum est tibi, quia non est datum: spinas, & tribulos pariet, sed pariet tibi, id est ut tibi ista iam nasci incipient ad laborem, quæ ad pastum tantummodo alijs animalibus nascabantur. Idem quoad spinas, & tribulos docet Sanctus Thomas hac quæst. 69. art. 2. ad 2. & 2. 2. quæst. 164. artic. 2. ad 1. Quoad alteram vero partem de herbis, & plantis noxijs, consentiunt etiam Basilis, & Ambrosius locis citatis n. 19.

24. Dicendum cum hac secunda sententia: Probabilis est Deum tertia die produxisse, vel formaliter in suis speciebus, vel virtualiter in virtute aliarum causarum spinas etiam, & tribulos, & herbas, ac plantas uocata-

rias, & venenatas. Ratio est, quia hæc omnia licet possint hominum corporibus nocere, tamen possunt etiam esse utilia ad pabulum animalium, ad medicinam, & ad multa alia. Homines autem in statu innocentiae ex ipsis perceperint multa commoda, nullum incommode. Ex eadem ratione Deus quinta, & sexta die prodidit etiam animalia venenosa. Ideo S. Augustinus lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 13. inter alia dicit. Quantæ autem sint utilitates, siue manifeste, siue occulte omnium, quæ terra gigrens radicibus alit, & insi quedam intueantur, & ab expertis cetera inquirant. Lib. etiam 1. de Genes. contra Manichæos, cap. 16. dicit. Solent etiam Manichei mouere questionem, ut dicant: Quid opus erat, ut tam multa animalia Deus facaret, siue in aquis, siue in terra, que hominibus non sunt necessaria? multa etiam pernicioса sunt, & timenda. Sed cum ista dicunt, non intelligunt, quemadmodum omnia pulchra sunt conditoris, & artifici suo. Si enim aliquis opificis officiam imperitus intrauerit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat. & si multum est insipiens, superflua putat. Iam vero si in fornacem incautus cecidit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male trattat, se ipsum vulnerauerit, etiam pernicioса, ac noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen usum, quia nouit Artifex, insipientiam eius iridet, & verba eius non curans, officium suum constanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare, quæ ignorant, sed cum ea vident, credunt esse necessaria, & propter eas aliquos instituta, in hoc autem mundo, cuius conditor est Deus, audeant multa reprehendere, quorum causas non vident, & in operibus, & instrumentis artificis volunt se videri scire quod nesciunt.

25. Quæritur tertio, utrum Deus tertia die per se ipsum solum, vel mediante, & concurrente actiue aliqua causa secunda, produxit herbas, ac plantas?

Respondeo, quod omnes conueniunt in asserendo hæc producta fuisse ex terra, ac prout terra præstante suum concursum passuum, & materialem, & hoc ad minimum probant verba illa Gen. 1. Protulit terra herbam vircentem &c. Dubitatur ergo solum, utrum terra, vel aliqua alia causa concurrevit actuè?

26. Prima sententia Eugubini docet Deum primis duobus diebus ita terram, aliasque causas præparasse, & dispositisse, ut tertia die naturaliter secuta fuerit herbarum, & plantarum producio virtute terre, primi luminalis, & aliarum causarum vniuersalium.

Hæc opinio est contra omnes Patres, & Theologos, & rejeicitur. Nam productio illa, qua momento, vel breuissimo tempore producere suerunt innumerabiles herbae, plantæ, & arbores in statu etiam perfecto, non potuit esse naturalis causis secundis.

27. Secunda sententia Burgensis, & Caietani in Gen. docet terram non solum passum, sed etiam actiue tertia die concurrere ad productionem herbarum, & plantarum. Funda-

da

damentum sumunt ex illis verbis Gen. 2. *Protulit terra herbam virentem, siquidem verbum protulit videtur significare concursum actuum proprium causæ efficientis.*

28. Tertia sententia communior docet Deum solum produxisse plantas sine concurso actiuo causæ secundæ terra præstante solum concursum passiuum proprium causæ materialis. Sequitur hanc sententiam Suan. lib. 2. de opere sex dierum, cap. 7. eamque tribuit Basilio, & Ambrosio in Hexameron, Chrysostomo in Gen. Lyrano, Abulensi, Pererio, & alijs.

29. Dicendum cum hac tertia sententia: Deus solus tertia die produxit actiuæ herbas, & plantas, terra solum passiuæ concurrente.

Probatur: nam neque terra, neque villa causa secunda portuit naturaliter, momento, vel breuissimo tempore actiuè producere herbas, & plantas in statu perfecto; sed non est credibile Deum producendo naturam, eleuasse causas secundas ad operandum miraculosè, & supra naturam: nam ut cum Sancto Thomas ex S. Augustino lib. 2. de Gen. ad literam diximus num. 9. *Nunc quemadmodum Deus insituit naturas verum conuenit querere, non quid in eis ad miraculum sua potentia velit operari.* Deus ergo dicens: *Germet terra herbam virentem, voluit, ut terra germinaret passiuè, & in genere causæ materialis, ideoque dum additur, protulit terra herbam virentem, significatur concursus solum passiuus, ac materialis.* Confirmatur: nam matres in sententia Aristotelis, & satis communi, concurrunt solum passiuæ, & materialiter ad generationem filiorum, & tamen propriè dicuntur generare filios; ergo licet terra ad modum matris concurrerit solum passiuæ, & materialiter ad productionem herbarum, & plantarum, tamen propriè germinauit, & protulit herbam virentem. Producio porrò actiuæ horum tribuitur Deo Gen. 2. dum dicitur: *Fecit Deus celum, & terram, & omne virgultum agri: & paulo post: Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum.*

30. Ad 1. Ex eo, quod cum tota terra esset aquis cooperta, non possit assignari locus, in quo aquæ congregarentur, responsum est num. 5. aquas congregatas esse in ingentes concuitates, quas Deus aperuit in terra.

31. Ad 2. Ex eo, quod si aquæ congregatae fuissent in unum locum, omnes aquæ essent continuæ, quod est falsum, respondet Damascenus lib. 2. de fide, cap. 9. quod locus aquarum dicitur unus, in quantum quilibet aquarum congregatio habet suum locum separatum à terra discooperta, non autem in quantum omnes aquæ constituant unam congregationem continuam aquarum, siquidem eadem Scriptura insinuat factas esse plures congregations aquarum, dicens: *Congregationsque aquarum appellavit maria.* Verba Damasceni sunt. Deinde præcepit Deus, ut congregarentur aquæ in unam congregationem, & dicens in unam congregationem, non significat in uno loco illas

congregasse (nam vide, ut postea dicat, & congregations aquarum appellavit maria) sed secundum se ipsas à terra separatas simul factas esse aquas ostendit hic sermo. Congregatae sunt igitur aquæ in congregations suas, & apparuit arida. Sanctus Thomas artic. 1. quæst. 69. ad 3. addit aliam respondem, dicens: *Quod omnes aquæ terminum habent, scilicet mare, in quo confluent manifestis, vel occultis meatus, & propter hoc dicuntur aquæ congregari in unum locum.*

32. Ad 3. Apertis in terra concavitatibus, aquæ omnes naturaliter per suam grauitatem descenderunt in illas concavitates, & constiuerunt mare, sed indigerunt præcepto diuino, ac operatione diuinæ omnipotentiae aperiunt illas concavitates, ut possent ad eas descendere, & ut deinde flumina naturali grauitate fluenter ad mare. Addit Sanctus Thomas quæst. 69. art. 1. ad 4. quod iussio Dei naturalem grauitatem, & motum corporibus præbet. Addit rursus, quod potest dicti, quod naturale esset, quod aqua esset unde circa terram, sicut aer unde esset circa aquam, sed propter necessitatem finis, ut scilicet animalia, & plantæ essent super terram, oportuit, quod aliqua pars terre esset discooperta ab aquis: quod quidem aliqui philosophi attribuunt actioni Solis per elevationem vaporum dissecantis terram, sed sacra Scriptura attribuit potestati diuinæ non solum in Genesi, sed etiam Iob. 38. cap. vii ex persona Domini dicitur: *Circunde di mare terminis meis, & Ierem. 5. Me ergo non timebitis, ait Dominus, qui posui arenam terminum mari?*

33. Ad 4. respondet Sanctus Thomas art. 2. quæst. 69. ad 1. quod quia plantæ immobiliter terra inhærent, earum productio est quasi quedam terra formatio, ideoque ponitur tertia die, qua formata est terra. Ex oppositione ratione animalia non sunt producta tertia die. Videntur autem eadem tertia die producta metallæ in visceribus terre, quia videntur quedam species terra: sed quia latent intra terram, ideo Moyses, qui recentuit solum ea, quæ manifestè apparent, non fecit mentionem productionis metallorum.

Q V A E S T I O C C X I X .

Vtrum conuenienter productio luminarum, Solis nimirum, Luna, & Stellarum dicatur facta quarta die?

S. Th. qu. 70. art. 1. 2. 3.

1. **Q** uæritur primò, vtrum conuenienter opus sex dierum diuidatur in triplex opus, nimirum in opus creationis, in opus distinctionis, seu formationis, & perfectionis, & in opus ornatus?

Respondet affirmatiuè Sanctus Thomas artic. 1. quæst. 70. Probatur primò ex Scriptura. Nam Moyses initio cap. 2. recapitulans opera sex dierum, quæ descripti cap. 1. dicit:

Mmm 2. Igi-

Igitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum; ergo opere creationis, de quo dixerat, In principio creauit Dens cœlum, & terram: addit opus distinctionis, per quod ea, quæ creata erant imperfecta, informia, & confusa, fuerunt perfecta, distincta, & formata, vel substantialiter, ut opinatus est Augustinus, vel per convenientem decorum, & ordinem, ut concuerunt communiter alii Pares, & addit etiam opus ornatus.

2. Quæritur secundò, an, & quo pacto opus ornatus differat ab opere distinctionis, formationis, ac perfectionis?

Respondeo, quod perfectio cœli, ac terre consistit in ijs, quæ sunt ipsis intrinsecæ, eorumque dispositione, & ordine: ornatus autem in ijs, quæ sunt ab ipsis distincta, & quodammodo extrinsecè adiacent, eo pacto, quo homo perficitur per suas partes, & formas, puta per membra, eorumque formas, ornatur autem per vestimenta quodammodo extrinsecè adiacentia; sed distinctio maximè manifestatur per motum localem, quo vnum ab alio separatur; ergo Moyses, qui se accommodabat rudi captui populi Hebræi, nomine ornatus cœli, terra, & aquæ intellexit ea, quæ sensibiliter mouentur in cœlo, terra, & aqua, quæ autem sunt sensibiliter affixa, significavit nomine perfectionis. Sicut igitur Moyses narrans creationem factam ab initio, fecit mentionem cœli, terra, & aquæ, dicens: In principio creauit Deus cœlum, & terram, & spiritus Domini serebatur super aquas, sic agens de formatione, distinctione, & ornatu, narrat, quo pacto cœlum, aqua, & terra primis tribus diebus fuerint formata, & distincta, & postremis tribus diebus fuerint ornata. Prima igitur die cœlum fuit formatum, perfectum, & distinctum per productionem lucis, eiusque divisionem à tenebris. Secunda die aquæ fuerunt distinctæ per firmamentum dividens aquas superioribus ab inferioribus. Tertia die terra fuit distincta, & formata per divisionem ariæ à mari, & per productionem plantarum, quæ quia radicibus inhærent terra, considerantur sicut partes terræ, ideoque videntur pertinere ad perfectionem, non autem ad ornatum terræ. Proportionaliter tribus consequentibus diebus narratur ornatus cœli, aquæ, & terra, per productionem corporum, quæ in ipsis mouentur. Nam quarta die narratur productio luminarium, quæ sensibiliter mouentur in cœlo ad ornatum ipsius. Quinta die narratur productio piscium, & avium, quæ sensibiliter mouentur in aqua, & aere, quæ duo elementa propter parvam aeris sensibilitatem sumuntur pro eodem. Sexta die narratur productio animalium, quæ sensibilitate mouentur in terra. Hinc assertur ratio, quare luminaria producta fuerint post plantas. Nam luminaria spectant ad opus ornatus, plantæ ad opus distinctionis: sed opus distinctionis debuit præcedere, opus ornatus debuit subiungi; ergo. Sanctus Basilius

lius Homil. 5. in Hexam. relatus à S. Thoma hac quæst. 70. art. 1. ad 4. affert aliam rationem moralē, ad excludendam nimisrum Idolatriam. Qui enim dicunt luminaria esse Deos, dicunt, quod primordiale originem habent plantæ a luminaribus, quanvis ut dicit Chrysostomus Homil. 6. in Gen. scilicet agricola cooperatur ad productionem plantarum, ita & luminaria per suos motus.

3. Dices: ex Aristotele 2. de cœlo, tex. 4.; & sequi. Stellaræ sunt affixa suis sphœris, sicut nodi in tabula, ac non mouentur, nisi mouorib; ergo productio stellarum non pertinet ad opus ornatus, sed ad opus distinctionis.

Repondet Sanctus Thomas hac quæst. 70. artic. 1. ad 3. quod secundum Ptolomæum stellaræ non sunt affixa sphœris, ac mouentur motu proprio, sicut pisces in aqua, & aues in aere. Iuxta hanc opinionem Chrysostomus Homil. 6. in Gen. & Homil. 12. ad Populam dicit, quod non ideo dicitur, quod Deus posuit luminaria in firmamento, quod ibi sint fixa, sed quia iusterit, ut ibi essent. Abstrahendo ab utraque sententia, quia motus luminarum sensu percipitur, non autem motus sphœrarum, ideoque sensibiliter luminaria mouentur in cœlo, sicut pisces in aqua, & aues in aere, Moyses captiu rudi populi se accommodans luminaria recensuit inter ea, quæ spectant ad ornatum cœlorum.

4. Quæritur tertio, quo pacto Moyses delicti per productionem, & utilitates luminarium?

Respondeo, quod Moyses descripto opere distinctionis facto tribus primis diebus, refert opus ornatus factum tribus posterioribus diebus, & incipiens ab ornato cœli dicit: Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli. Et quia quinque sunt præcipue utilitates luminarium: prima ut distinguant diem à nocte; secunda, ut sint signa pluviarum, ventorum &c. tercia ut distinguant quatuor præcipua anni tempora, quæ sunt ver, aestas, autumnus, & hiems: quarta, ut suis motibus, ac circulationibus efficiant dies, & annos: quinta demum, ut luceant in cœlo, & illuminent terram: ideo Deus has quinque præcipias utilitates luminarium explicans, addidit, & dividit diem, ac noctem, & sint in figura, & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum est ita. Deus nimirum omnipotenti sua virtute exercens in tempore, quod ab æterno decreuerat fecit duo luminaria magna, lumina maius, hoc est, Sol, & Luna, ut præcesset dici, & lumina minus, hoc est Lunam, ut præcesset nocti, ac stellas tunc errantes, tunc fixas, atque omnia haec luminaria posuit in firmamento cœli, quod ut dictum est quæst. 216. num. 9. incipit ab orbe Lunæ, & terminatur orbe stellarum fixarum, ac vnumquedque lumine in suo orbe, ac situ collocavit, prout requiritur ad bonum universi, ut luceant, ac illuminent terram, & præcessent dici, ac nocti, siquidem Sol præcesset dici, cetera luminaria præsunt nocti, cum to-

lum

hunc tempore noctis possint perfectè videri. Per hoc verò, quod Sol præsit diei, cætera, luminaria præsint nocti, tempus diei, quod est tempus lucis, dividitur à tempore noctis, quod est tempus tenebrarum. Et videt Deus, quod luminaria essent bona, & dum fierent luminaria, primo mobili faciente suam quartam circulationem, factum est vespero, & mane dies quartus.

5. Pro maiori explicatione queritur quarto, ex qua materia facta sunt luminaria?

Respondeo, quod luminaria sunt in dupli- ci genere. Aliqua enim habent lucem inge- nitam, aliqua habent lucem aduentitiam. Lu- minaria habentia lucem ingenitam, cuiusmo- di sunt Sol, & fortasse stellæ fixæ, facta sunt ex primo luminoso secunda die producto, ut dictum est quæst. 216. num. 10. diuidendo il- lud in globos Solis, & stellarum fixarum. Lu- minaria, quæ non habent lucem ingenitam, sed solum habent lucem à Sole, qualis est Lu- na, & alij quinque planetæ, facta fuerunt ex materia coelesti, vel elementari, illam debite condensando, ita ut redderetur apta ad refle- xionem lumen Solis. Iuxta sententiam di- centium luminaria facta esse ex materia ele- mentari, facta sunt per transmutationem sub- stancialiem. Iuxta alteram sententiam facta sunt per transmutationem accidentalem, puto condensando materiam. In hoc sensu Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus dicit, quod lumen Solis, quod primo erat informe, tertio die for- matum est.

6. Quæritur quinto, in quo signo Zodiaci Sol fuerit primò constitutus?

Respondeo incertum esse, sed duas esse præ- cipuas opiniones. Prima plurim Hebreorū, quos sequitur Caietanus, docet mun- dum fuisse creatum in æquinoctio verno, adeoque Solem primò fuisse constitutum in signo Arietis. Secunda, quam ut ecommuni- niorem Hebraeorum, & ut rationabiliorem refert Lyranus, docet mundum fuisse produc- tum in æquinoctio autunnali, adeoque So- lem fuisse primò constitutum in signo Libræ. Probabilius videtur, quod mundus fuerit cre- tus in æquinoctio verno, adeoque quod Sol primò fuerit constitutus in signo Arietis. Ra- tio est primò, quia mundus debuit creari ini- tio anni; sed initium anni est ver, quod cor- respondet iuventæ, autumnus autem spe- cat potius ad finem anni senescētis, ideo- que in autumno decidunt folia, & fructus; ergo, &c. Confirmatur primò, quia etiam Aristoteles, & ij, qui censem tempus, & motum non incepisse, sed ab aeterno fuisse, nihilo minus dicunt, quod secundum naturam principium anni est in signo Arietis, quia si motus ecclī debuisset incipere, debuisset incipi- pere, Sole existente in signo arietis; ergo, cum nobis ex Scriptura innotuerit tempus, & motum incepisse, debemus dicere, quod incepit in signo arietis. Confirmatur secun- do: nam Exodi 12. primus mensis vocatur,

in quo est æquinoctium vernum: ergo, &c. Nec obstat, quod arbores productæ fucint cum seminibus, & fructibus; sed arbores sol- lum in autumno habent semina, & fructus: ergo, &c. Dicendum enim est, quod sicut terra herbam virarentem proteti solum tempo- reveris, & tamen licet per aduersarios mun- dus produktus fuerit in autumno, nihilomi- nus terra protulit herbam virensem, ac si ei- set tempus veris, sic licet mundus produktus fuerit tempore veris, tamen arbores diuina- virtute productæ sunt cum fructibus, ac si ei- set tempus autunnus. Deus nimirum, cuius per- fecta sunt opera, ut dicitur Deuteronom. 32. quarto die terram ornauit floribus, & herba virire, ac si esset ver, & simul arbores ditauit fructibus, ac si esset autunmus. Posito, quod Deus creauerit mundum initio anni, veri- simile est, quod primum luminosum prima- die constituerit in primo gradu arietis, & quod quarta die constituerit Solem in quarto gradu arietis, in quo debet esse quarta die an- ni. Lunam autem constituerit in signo oppo- sito, hoc est in quarto gradu librae, ita ut lati- tum Luna pleno orbe incepit præesse nocti. Ut enim dicit Sanctus Thomas quæst. 70. artie. 2. ad 5. Luna quando est perfecta, oritur vespe- re, & occidit mane, & satis probabile est, quod facta fuera plena, sicut, & herbae factæ sunt in sua perfectione facientes semen. Probabi- le etiam est, quod Sol fuerit primò constitu- tus in meridianō paradiſi, ideoque quod fuc- rit produktus sexta hora quartæ diei artificia- lis. Quod autem Sol incepit suum motum à meridianō, indicat David Psal. 18. canens: Exultauit vt Gigas ad currēndam viam: à summo caelo egressio eius. & occurſus eius usque ad summum eius: ergo Sol vt Gigas incepit suum motum à summo calo, hoc est à meridianō: sed hoc debet intelligi de meridianō paradiſi, & regio- nis propinquæ: ergo &c.

7. Quæritur sexto, in quo sensu Sol, & Lu- na dicantur duo luminaria magna, cum Luna sit minor omnibus stellis fixis, & penè omni- bus planetis.

Respondeo Solem, & Lunam esse lumina- ria magna respectu terræ, quia valde terram illuminant, & malto magis, quam reliqua sydera. Hanc rationem ex Chrysostomo Ho- mil. 6. in Gen. aſterit Sanctus Thomas quæst. 70. artie. 1. ad 5. dicens: Situt Chrysostomus dicit, dicuntur duo luminaria magna, non tam quantita- te, quam efficacia, & virtute, quia etiæ aliae stellæ sint maiores quantitate, quam Luna, tamen efficiens Luna magis sentitur in ipsis inferioribus, & etiam se- condum sensum maior apparet.

8. Quæritur septimo, quo pacto luminaria sunt signa, siquidem Deus de illis dixit Gen. 1. sunt in signa, & tempora?

Respondeo, quod sunt signa, & causa mul- tarum corporalium transmutationum, non autem corporum, quæ dependent ex libero arbitrio; siquidem cum sint materialia, non pos- sunt directe agere in liberum arbitrium, illud- que

que necessitate, licet possint indirecte inclinare, alterando corpus humanum. Quia luminaria non sunt signa infallibilia eorum, quae dependeat a libero arbitrio, ut putabant plures gentiles, ideo Deus Ierem. 10. dicit: *A signis nolite timere, quae gentes timent.* Licet autem luminaria sint non solum signa, sed etiam causa plurium effectuum, Moyies tamen potius dixit illa esse signa, quam causas, ne daret Hebreis occasionem idolatriæ, ut docet S. Thomas quest. 70. artic. 2. ad 2.

9. Quæritur octauo, quo pacto Deus de luminaribus quarta die factis dixerit: diuidant diem, ac noctem, cum per lucem prima die productam iam facta esset diuisio diei a nocte.

Respondeo, quod licet per corpus luminosum prima die productum facta sit diuisio diei a nocte, tamen postquam ex illo corpore quarta die facta sunt luminaria, diuisio dierum a noctibus facta est, sit, & usque ad finem facili fieri per luminaria.

10. Quæritur nono, quandoquidem corpora nobiliora non habeat pro fine corpora minus nobilia, quo pacto Scriptura dicat luminaria esse facta, ut illuminent terram?

Respondet Sanctus Thomas quest. 70. artic. 2. in terra esse hominem, qui propter animam rationalem est nobilior celo, & luminaribus: ergo luminaria, dum facta sunt, ut illuminent terram, in qua sunt homines, facta sunt propter aliquid nobilius luminaribus. Addit creaturam nobiliorem posse ordinari ad minus nobilem, non secundum se consideratam, sed in quantum requiritur ad perfectiōnem vniuersi.

11. Quæritur undecimo, vtrum luminaria sint animata?

Respondeo, quod ut refert Sanctus Thomas artic. 3. quest. 70. in hac questione diversæ fuerunt opinione, non solum philosophorum, sed etiam Sanctorum Patrum. Anaxagoras enim teste, Augustino lib. 18. de Cuius. cap. 41. apud Atheniensis factus est reus, quia negauerat Solem esse Deum, vel aliquid animatum, & asseruerat esse lapidem ardenteum, & carentem anima. Platonici docuerunt corpora celestia esse animata, idemque ex Patribus docuit Origenes lib. 1. Periarch. cap. 7. ac insinuauit Hieronymus explicans illud Ecclesiast. 1. *Lustrans vniuersa per circuitum pergit spiritus.* At Basilius Homil. 3. in Hexam. & Damasc. lib. 2. de fide, cap. 6. existimauit corpora celestia non esse animata. Augustinus lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 15. & in Enchir. cap. 58. questionem hanc reliquit sub dubio, ac in neutram partem declinavit, & addidit, quod si sunt animata celestia corpora, eorum animæ pertinent ad societatem Angelorum. Ostendit deinde Sanctus Thomas corpora celestia non esse propriæ animata, anima nimicrum informante, sed æquiuocè, siquidem mouentur ab Intelligentia assistente, & quæ ipsis vniatur ut motor mobili, & concludit.

Vnde inter ponentes ea esse animata, & ponentes ea inanimata, parua, vel nulla differentia inuenitur in re, sed in voce tantum. Sed quia de hoc puncto egimus ex professo quest. 7. de celo, & mundo, ibique cum Sancto Thoma docuimus corpora celestia, & præsentim luminaria non esse animata, sed moueri ab Intelligentia assistente, nihil hoc loco est addendum.

QVAESTIO CCXX.

Vtrum conuenienter describatur productio pictum, avium, & animalium irrationalium terrestrium, quinto, & sexto die facta.

S. Thomas quest. 71. & 72.

1. Postquam Deus ornauit terram herbis & arboribus, ac celum luminaribus, quinta, & sexta die ornat terram, aquam, & aerem animalibus. Dixit igitur Deus aeterno suo imperio: producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento celi. Nomine reptilium intelliguntur animalia, quæ vel pedibus carent, vel habent pedes valde breves, qualia sunt quæ viuant in aquis, ac non graduntur, sed reptant. Lyre reptile animæ viventis idem significat, ac reptile habens animam viventem, & sensitivam. Nomine volatilium super terram sub firmamento celi, intelliguntur aues, quæ volant in aere, qui intercipit inter terram, & firmamentum celi, quod ut diximus supra, incipit ab orbe Lunæ. Deus igitur quinta die, primo mobili faciente quintam suam circulationem, exequens aeternum suum imperium, creauit cete grandia, siue ingentes balenas, & omnem animam viventem, ac motabilem, hoc est omnia animalia aquatilia viventia vitam sensitivam, ac se mouentia motu progressivo, quam produxerant aquæ in species suas, hoc est iuxta species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus, quod esset bonum, benedixitque eis. Et quia Deus dum benedicit, benefacit, siquidem quod dicit facit, ideoque scriptum est ipse dixit, & facta sunt, idcirco Deus sua benedictione pisibus, & aibus dedit maximam fecunditatem, & virtutem, atque appetitum se multiplicandi per commissionem maris, ac feminæ, ideoque explicans, quod benedictio ordinabatur ad multiplicationem, addidit; Crescite non tantum mole corporis, sed numero, & multiplicamini, generando similia in specie, & replete aquas maris, & aues multiplicentur super terram, in qua habent nidos, ac cibum querunt. Et factum est vespere, & mane dies quintus. Primo siquidem mobili faciente quintam suam circulationem, Sol ab oriente processit ad occidentem, ac fecit vespere, ac deinde noctu ab occidente rediit ad orientem, & fecit manc,

mane, & sic facta est quinta dies naturalis.

2. Pro maiori explicatione quæritur primum, utrum Deus quinta die pisces, & aues produixerit secundum esse formale, quod habent in propriis speciebus, vel solum secundum esse virtuale, quod habent in seminibus?

Respondeo, quod Augustinus lib. 3. de Genes. ad litteram, sicut dixerat plantas tertia die productas fuisse solum secundum esse virtuale, quod habent in seminibus, sic assertit pisces, & aues hac quinta die productas fuisse solum secundum esse virtuale, dando aquis virtutes seminales hanc producendi. At nos sicut quæst. 218. num. 14. & 15. cum communis sententia Patrum, & Theologorum censimus herbas, & plantas tertia die productas fuisse secundum esse formale, quod habent in propriis speciebus, sic existimamus pisces, & aues productas fuisse secundum esse formale, quod habent in propriis speciebus. Probatur. Nam Scriptura dicit: *Creavit Deus cete grandia, & omne animam viventem, atque mobiliter, quam prodaxerant aqua in species suas, & omne volatile secundum genus suum;* sed hanc si propriè intelligentur, sicut debent intelligi, significant productionem secundum esse actuale: ergo. Rursus, benedixit eis dicens, *crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auesque multiplicentur super terram;* benedictio autem hanc conuenit piscibus, & aubus actu existentibus in propria specie. Præterea prius animalia debuerunt produci in propriis speciebus, ac deinde multiplicari, producendo sibi simile per se, &c.

3. Quæritur secundo, utrum Deus pisces, & aues quinta die creauerit ex nihilo, vel ex materia præexistente, ac initio creata, cum creauit Deus celum, & terram?

Respondeo, quod non creauit ex nihilo, sed ex materia præexistente, & ante creata. Hoc enim ad minimum significant verba illa: *producant aqua reptile anima viventis, &c.* Rursus post primam creationem opera sex dierum facta sunt, non ex nihilo, sed ex materia præexistente. Dum ergo dicitur: *Creavit Deus cete grandia,* creatio non sumitur omnino strictè pro productione ex nihilo, sed a liquo latius, ut in pluribus alijs locis Scriptura.

4. Quæritur tertio, ex qua materia producta fuerint aquatilia, & volatilia?

Respondeo, quod producta sunt ex omnibus quatuor elementis debitè permisisti. Porro licet animalia constent ex omnibus quatuor elementis debitè permisisti, tamen præcipue constant ex terra, & aqua. Et quia aquatilia, & volatilia habent temperamentum magis aqueum, quam terreum, animalia terrestria habent temperamentum magis terreum, quam aqueum, idèo aquatilia, & volatilia dicuntur producta fuisse ex aqua, reliqua animalia terrestria dicuntur sexta die producta fuisse ex terra.

5. Quæritur quarto, utrum in aliquo sensu volatilia fuerint producta ex terra, sive humo, & ex aere, & quæ circa hoc panormum fuerint auctorum opiniones?

Respondeo tres fuisse præcipias sententias, quæ tamen videntur posse conciliari. Prima Caietani, & Catherini in Genes. 1. quos sequitur Pererius de opere sex dierum, docet illa producta esse ex humo, seu terra. Fundamentum est, quia Genes. 2. dicitur: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animalibus terra, & uniuersis volatilibus celi,* adduxit ea ad Adam.

6. Secunda sententia docet volatilia producta esse ex aqua, sicut pisces. Sequuntur hanc sententiam Basilius, & Ambrosius in Hexam. Chrysostomus in Genes. Hieronymus epist. 83. ad Oceanum, dicens: *Primum de aquis, quod vinit egreditur, & pennatos fidèles de terra ad cælum leuat.* Faust etiam Augustinus lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 7. & 8. & Ecclesia in hymno Ambrosij fer. 5. ad vesperas canit, *Magna Deus potentia, qui fertili natos aqua, partim relinquit gurgiti, partim leuas in aera.* Fundamentum est, quia Genes. 1. Deus dixit. *Producant aquæ reptile anima viventis, & volatile super terram sub firmamento celi.*

7. Tertia sententia docet volatilia facta esse ex aere. Hanc magis probat Augustinus lib. 3. de Genes. ad litt. cap. 3. & lib. imperfecto in Genes. Eandem sequuntur Rupertus lib. 1. in Genes. cap. 5. & alij.

8. Dicendum has duas sententias possit conciliari. Explicatur. Aqua in vapores eleuata multum continet aeris, & vocatur etiam aer; sed aues productæ sunt ex aqua in vapores eleuata, pisces autem ex aqua manente in mari, & fluminibus: ergo aues ita productæ sunt ex aqua, ut etiam in aliquo sensu productæ sint etiæ ex aere. Animalia igitur producta sunt in loco, in quo mouentur, & ex elemento in quo mouentur; & quia animalia terrestria mouentur in terra, pisces mouentur in aqua, aues in aere, ideo animalia terrestria producta sunt in terra, & ex elemento terræ; pisces in aqua, & ex aqua non eleuata in vapores, sed manente in mari, fluminibus, & lacubus; aues in aere vaporoso, & ex aqua in vapores eleuata, ac multum aeris continent, quæ prouide dicitur aer. Hanc sententiam hoc pacto explicatam docet Sanctus Thomas quæst. 71. artic. unico ad 3. Dicendum, quod aer quia insensibilis est, non per se ipsum connumeratur, sed cum alijs, partim quidem cum aqua, quantum ad inferiorum partem, quo exhalationibus aquæ ingrosfatur, partim etiam cum cælo quoad superiorum partem. Aues autem motum habent in inferiori parte aeris, & idèo sub firmamento celi volare dicuntur, etiam si firmamentum pro nebuloso aere accipiatur, & idèo producio autem aquæ ascribitur. Suarius lib. 2. de opere sex dierum, cap. 10. hanc opinionem sequitur, & pro ea assert etiam Euclerium, cuius verba sunt. *Volatilia ab aquis producta scribuntur, quia aer, in quo volitant, &* sapient-

sapientibus cum aquis deputatur, qui aquarum humida exhalatione pinguiscit, ut volatus animalium suum posse.

9. Ad fundamentum sententiae dicentis aues productas fuisse ex terra desumptum ex iis verbis 2. Gen. Formatis igitur Deus de humo cunctis animantibus terra, & uniuersis volatilibus caeli: Respondet S. Augustinus lib.9. de Genet. ad litt. cap. 1. ly ex humo referri solum ad animalia terrae, quae exprimuntur in prima parte periodi, non autem ad volatilia caeli, quae ponantur in secunda parte periodi. Addit. Augustinus humum esse terram aqua mistam ad modum luti, ac sic includere duo elementa, terram nimirum, & aquam.

10. Quæritur quarto, utrum Deus quinta die produixerit pisces, & aues in statu perfecto?

Respondeo cum Suario lib. 2. de opere sex dierum, cap. 10. num. 5. producta fuisse in statu perfecto cum suis individuis, & speciebus, ac proinde producta fuisse plura individua, prout requirebatur ad perfectionem, & varietatem mundi. Vide quae de plantis dicta sunt quæst. 218. num. 17.

11. Quæritur quinto, utrum monstra, vel animalia, quae generantur ex putri, & ex commissione feminum, producta sint hac quinta die?

Respondeo, quod sicut quæst. 218. nu. 18. dixi herbas, & plantas, quae oriuntur ex putri, vel ex commissione feminum non fuisse productas secundum esse formale, sed secundum esse radicale, quod habebant in suis causis, sic probabile est monstra, & animalia, quae generantur ex putri, vel ex commissione feminum, quinta, & sexta die producta fuisse, non secundum esse formale, sed secundum esse radicale, quod habebant in suis causis. Confirmatur: nam ex purrefactione, commissione feminum, & combinatione accidentalis aliarum causarum, vel cau, vel arte humana quotidie producuntur in mundo nouæ species rerum, quae antea non erant actus: ergo verisimile est, quod Deus illas ab initio produixerit solum secundum esse virtuale, quod habuerunt in arte humana, vel Angelica. Sequitur hanc tententiam Suarius lib. 2. de opere sex dierum, cap. 10. num. 12. & 13. & pro causa citat Peretium, & Torniellum in sexto die. Potest etiam afferri S. Thomas, qui quæst. 73. artic. 1. ad 3. dicit. Species etiam nouæ, si quæ apparent, præxiterunt in quibusdam attinis virtutibus: sicut & animalia, ex purrefactione generata, producuntur ex virtutibus stellarum, & elementorum, quam a principio accepunt, etiam nouæ species talium animalium producantur. Animalia etiam quadam secundum nouam speciem aliquando oriuntur ex commissione animalium diuersorum secundum speciem, sicut cum ex asino, & equa generatur mulus: & bac etiam præcesserunt causali per in operibus sex dierum.

12. Quæritur sexto, utrum aues sint productæ simul tempore cum piscebus, vel post pisces.

Respondeo probable esse, quod aues productæ sint simul cum piscebus. Gen. enim 1. dicitur: Dixit etiam Deus: producant aque reptile anima viventis, & volatile: ergo cum pisces, & aues significantur ut producta quasi eodem imperio, insinuantur, ut simul tempore producta, ut docet Suarius lib. 2. de opere sex dictrum, cap. 10. num. 8.

13. Quæritur septimo, utrum aues, & pisces fuerint quinto die producta à solo Deo, non concurrenti actuè causa secunda, vel concurrente causa secunda, ac præsertim aqua.

Respondeo producta fuisse à solo Deo sine concursu actuè causa secunda. Probatur ex rationibus, quibus quæst. 218. num. 26. probatum est herbas, & plantas, productas fuisse actuè à solo Deo, sine concursu causæ secunda. Deus ergo dicens, Producane aquæ, significauit concordum solum passuum, ut eo loco est explicatum exemplo generationis, quae matres generant filios, licet iuxta opinionem Aristoteles, & aliorum, passu solum concurrant ad generationem filiorum.

14. Superest, ut cum Sancto Thoma quæst. 72. artic. vñico agamus de opere sextæ diei, hoc est de productione animalium terrestrium. Deus igitur, postquam quinta die ornauit elementum aquæ animalibus aquatilibus, & elementum aeris volatilibus, sexta die ornauit elementum terre animalibus terrestribus, ac denum producit hominem, hoc est Principem, ac Regem terræ. Dicit igitur Deus: producat terra animam viventem in genere suo, iumenta, reptilia, & bestias terrenas secundum species suas. Et factum est ita: hoc est dixit Deus aeterno suo imperio: terra producat omnia genera terrestria animalium viventium vitam secundum, quae genera sunt iumenta, puta equi, asini, & alia huiusmodi, quae vocantur hoc nomine, quia facta sunt, ut si uent hominem in ferendis oneribus, reptilia, hoc est animalia, quae quia vel carent pedibus, vel habent pedes breves, per humum repunt, ac vix eleuantur a terra, cuiusmodi sunt serpentes, lacertæ, &c. & bestias terræ, hoc est feras sylvestres, ut leones, lupos, &c. secundum species suas. Factumque est ita. Deus enī sexta die exequens quod ab aeterno decreuerat, fecit bestias terra iuxta species suas, & iumenta, & omne replete terra in genere suo. Animalia porro terrestria facta sunt à Deo ita, ut terra etiam virtutibus seminalibus foecundata concurrens solum passu ad eorum productionem, eo pacto, quo ut diximus agentes de operibus tertie, & quinta diei, aqua concurrens solum passu ad productionem aquatilium, & volatilium. Rursus sicut aquatilia, & volatilia facta sunt ex quatuor elementis inuicem permisis, ita tamen, ut in ipsis prævaluerit elementum aquæ, ita animalia terrestria facta sunt ex quatuor elementis inuicem permisis, ita tamen, ut in ipsis prævaluerit elementum terra. Præterea sicut

Dens

Deus tertia, & quinta die produxit plantas, pisces, & aves in statu perfecto, sic sexta die produxit animalia terrestria in statu perfecto. Demum sicut plantæ, pisces, & aves, quæ generantur ex putri, & ex commixtione seuminum, produxit solum secundum esse, quod habent in suis causis, sic idem proportionatiter est dicendum de animalibus terrestribus.

15. Agit deinde Moyses de formatione hominis. Sed de homine quoad animam, & corpus, eiusque productione, ac de statu innocentiae Sanctus Thomas fusè agit quæstion. 90. & pluribus quæstionibus sequentibus, ac nos cum ipso disputabimus sequentibus tractatibus, postquam cum eodem Sancto Thoma quæst. 73. egerimus de ijs, quæ spectant ad diem septimam, & quæst. 74. de ijs, quæ spectant ad omnes septem dies incommuni.

Q V AESTIO CCXXI.

Vtrum conuenienter dicatur Deus septima die complesse opus suum, quieuisse, & benedixisse, ac sanctificasse diem septimum?

S.Tho. quæst. 73. artic. I. 2. 3.

1. Primò videtur inconvenienter Gen. 2. dici: complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat. Qui enim opus complet, aliquid facit; sed Deus die septimo nihil fecit, imo vt dicitur Gen. 2. verbis immediatè sequentibus, requieuit die septimo ab omni opere, quod patrarat; ergo.

2. Secundò tempus Incarnationis ad Gal. 4. dicitur tempus plenitudinis, ac Deus per Incarnationem, & mortem complevit, & perfecit opus suum, ideoque Christus moriens Ioan. 19. dixit consummatum est: in fine etiam mundi Deus complebit opus suum; ergo, non appetet, in quo sensu Deus die septima compleuerit opus suum, quod patrarat.

3. Tertiò opus, cui multa sunt addenda, nondum est completum; sed operi sex dierum multa erant addenda, nimis multa individua, plures nouæ species, quæ quotidie oriuntur ex putrefactione, vel commixtione seminum, innumeræ animæ rationales, quæ quotidiè creantur, Incarnatio Verbi, de qua Hierem. 33. dicitur, nouum faciet Dominus super terram, noua opera miraculosa, de quibus Ecclesiast. 36. dicitur, In nova & immuta mirabilia; circa diem iudicij innoubuntur omnia in glorificatione Sanctorum iuxta illud Apocal. 12. Et dixit qui sedebat in throno: ecce noua facio omnia; ergo.

4. Quartò videtur inconvenienter dici

Gen. 2. requieuit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat. Nam quies opponitur motui, & labori, qui oitur ex motu: sed Deus creauit, perfecit, & ornauit mundum absque motu, & labore: ergo post creationem, & opera sex dierum non quieuit.

5. Quintò si dicatur Deum quieuisse, in quantum cessauit operari, contra est, quia Ioan. 5. Christus dicit: Pater usque modo operatur, & ego operor; ergo Deus cum septima die non cessauerit operari, non quieuit.

6. Sextò videtur Deus non debuisse benedicere potius diei septimæ, qua quieuit ab opere, quam alijs sex diebus, quibus operatus est. Deus enim benedicendo benefacit, quia facit quod dicit, ideoque Psal. 148. dicitur: ipse dixit, & facta sunt; sed Deus benefacit, operando, & faciendo bona, non autem quiescendo, & cessando ab opere: ergo debuit potius benedicere sex diebus, quibus operatus est, quam diei septimæ, qua quieuit ab omni opere, quod patrarat:

7. Respondeo, quod explicato opere sex dierum, describit Moyses quietem, & sanctificationem diei septimæ. Quia verò artifex non quiescit ab opere, nisi illud prius perfecrit, & ornauerit, ita ut iuxta finem intentum nihil operi sit addendum, ideo præmittit Moyses, quod per opus sex dierum, perfecti sunt cœli, ac terra, & omnis ornatus eorum, ita ut iuxta finem à Deo intentum nihil mundo fuerit addendum. In Hebreo vbi nos legimus, omnis ornatus eorum, legitur, omnes exercitus eorum, quia nimisnum quæ spectant ad ornatum cœli, & elementorum, ad modum quorumdam exercituum ordinatissime sunt disposita. Stellæ siquidem sunt veluti exercitus cœlorum: Aves sunt veluti exercitus aeris: Pisces sunt veluti exercitus aquarum: Animalia terrestria sunt veluti exercitus terræ, quibus præst homo, tamquam Imperator. Quia rursus artifex dicitur completere opus suum, non solum cum ultimam manum imponit, sed etiam cum manum subtrahit ab opere, ideo Moyses addit, complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat. Cum enim die sexto ultimam manum imposuisset opere, & sic compleesserit illud positum, die septima videns opus esse perfectum, subtraxit manum ab opere, & sic illud compleuit negatiuè, & requieuit ab omni opere, quod patrarat. Porro non ita Deus septima die quieuit, vt cessauerit à faciendis ijs, quæ spectant ad conseruationem, & gubernationem universi: (ab hoc enim opere nunquam cessauit, neque cessabit: ideoque Christus dixit Ioan. 15. Pater meus usque modo operatur, & ego operor), sed solum cessauit ab opere creationis, ideoque ad hoc exprimentum Moyses dicit: requieuit ab omni opere, quod patrarat. Absoluto enim opere creationis, ab ipso requieuit. Dicitur autem Deus requieuisse ab opere, non autem in opere, quia Deus licet cessauerit ab opere suo, tamen beatificè quiescit per modum perfectissi-

N n n simæ

650 De quiete, & sanctificatione diei septimæ

sime satietatis, non in opere suo, sed in se ipso, qui est omne bonum.

8. Addit Moyses, quod Deus benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: & quia res dicuntur benedici, & sanctificari, cum specialiter diuino cultui dedicantur, eo pacto, quo tempia, vestes, & vasa sacra per qualdam benedictiones, & sanctificationes diuino cultui dedicantur, ideo Deus dicitur benedixisse, & sanctificasse diem septimum, in quantum illum specialiter diuino cultui dedicauit. Rationem, propter quam Deus diuino cultui dedicauit diem septimum præ alijs sex diebus hebdomadæ, assert Moyses ex eo, quod in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod fecerat. Quia igitur Deus die septimo cessauit ab opere creationis, & requieuit in se ipso, diuino cultui dedicauit diem septimum, ut homines cessarent ab operibus exterioribus, ac Deo vacarent, & requiescerent in Deo. Licet verò Deus diem septimum diuino cultui specialiter dedicauerit, non tamen ab initio homines obligauit ad specialiter illa die colendum Deum, (siquidem hanc legem obligatoriam tulit deinde per Moysen), sed solum per modum consilij manifestauit sibi specialiter placere, ut primi homines die septima præ alijs hebdomadæ diebus diuino cultui vacarent.

9. Concludit Moyses per quemdam epilogum: *Ista sunt generationes cœli, & terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus cœlum, & terram, & omne virgultum agri.* Vbi nos legimus *Dominus Deus in hebreo ponitur nomen Tetragrammaton Iouah, ac dicitur Iouah elohim, &c.* Est autem Iouah nomen propriissimum Dei, ac significat eum, qui ita est, ut per se sit, & sit primum principium essendi. Sensus igitur est. Modo explicato factæ sunt generationes cœli, & terræ in die, hoc est in diebus (Hebrei siquidem vtnatur singulari, loco pluralis) in diebus, inquit, in quibus Iouah elohim, hoc est qui ita est, ut per se sit, & sit primum principium essendi, & est index habens prouidentiam rerum humanarum, creauit cœlum, & terram, & omne virgultum agri, & herbas terræ in statu perfecto, absque eo quod paulatim orientur, & germinaret ex terra. Ideo Moyses ad explicandum hunc modum productionis, addit Deus creas omne virgultum agri, antequam oritur ex terra, paulatim nimirum, & modo naturali, & omnem herbam regionis, priusquam germinaret, paulatim nimirum, & modo naturali. Quia rursus ad hoc, ut herba, & virgulta præsentim perfectiora modo naturali acquirant debitam perfectionem, requiritur, ut terra irrigetur a Deo pluviis, & colatur ab hominibus, Moyses ad explicandum, quod virgulta, & herba tertia die sunt productæ a Deo in statu perfecto, modo non naturali, addit, quod cum tertia die producta sunt virgulta, & herba, nondum *Dominus Deus pluerat super terram*, & homo non erat, qui operaretur ter-

ram: siquidem homo productus est sexta die. Demum quia posset aliquis putare, quod tertia die, cum adhuc non pluisset, terra esset arida, ideo ad hoc excludendum Moyses addit, quod licet terra non irrigaretur pluviis, tamen aqua diuina virtute se insinuans per viscera terræ, ascendebat ex terra, eo pacto, quo ascendit, cum scaturiunt fontes, & irrigabat viuieram superficiem terræ, prout requirebatur ad hoc, ut terra fecundaretur, & redideret materia apta, ut ex ea tertia die fierent virgulta, & herba, ac quinta, & sexta die fierent animalia terrestria, & ipse homo secundum corpus.

10. Ad 1. Respondet primò Catharinus explicans hunc locum Genesis, Deum aliquid creas die septimo, ratione cuius datur opus suum completere. Hanc sententiam videtur insinuare Hieronymus in quæst. Hæbraicis dicens: *Arctabimus igitur Iudeos, qui de otio Sabbati gloriantur, quod iam tunc in principio Sabbathum dissolutum sit, dum Deus operatur in Sabbatho, complens opera sua, & benedicens ipsi diei, quia in illo uniuersa compleuerit.* Verum hæc opinio repugnat sensui communii Patrum, qui dicunt Deum sex diebus fecisse omnia, & septima die ab operibus vacasse, quod etiam insinuat Apostolus ad Hebr. 4. dicens: *Relinquitur sabbatismus populo Dei.* Qui enim ingressus est in quietem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, scit a suis Deus. Respondent alij secundo legendum cum septuaginta, quorum lectionem videtur approbare Hieronymus lib. de quæst. Hæbraicis: *complevitque Deus die sexto, non autem die septimo, ut legitur in vulgata.* Sed præferenda est lectio vulgata, quam ipse Hieronymus loco citato facet esse conformem autographo hebreo. Respondendum ergo cum Sancto Thoma quæst. 73. ad 2. Suatio lib. 2. de opere sex dierum, cap. 11. num. 3. & alij communiter, distinguendo maiorem; qui opus complet intrinsecè, & positivè, aliquid facit pertinens ad ultimam operis perfectionem, concedo: qui complet extrinsecè, & negatiuè, nego maiorem; concedo minorē: & distinguo eodem pacto consequens. Opus potest completi dupliciter, primò intrinsecè, & positivè, ultimo circa illud operando; secundo extrinsecè, & negatiuè, primo cessando ab operatione. Deus sexta die complevit opus suum intrinsecè, & positivè, ultimo circa illud operando, die septima complevit extrinsecè, & negatiuè, primo cessando, & quiescendo ab operatione, & declarando illud iam esse perfectum,

11. Ad 2. distinguo maiorem: Deus complevit opus suum tempore Incarnationis, & complebit in fine seculi in diuerso genere, concedo; in eodem genere, in quo complevit die septima, nego. Opus aliquid pluribus modis dicitur completi: primò per hoc, quod accipiat suam integratatem substantiam, & naturalem. Hoc pacto opus Dei, hoc est mundus completus est positivè, & intrinsecè

Secè die sexta, negatiuè, & extrinsecè die septima, vt di&um est num. 10. Secundo potest opus completi per hoc, quod obtineat suum ultimum finem; & quia ultimus finis mundi est perfecta beatudo Sanctorum, quam obtinebunt in die iudicii, ideo Deus in hoc sensu complebit opus suum in die iudicii. Tertio mundus post peccatum primorum hominum indiguit opere redemptionis, & hoc opus Deus complevit per Incarnationem Verbi, & mortem Christi, ideoque Christus moriens Io. 19. dixit: consummatum est.

12. Ad 3. distinguo maiorem: opus, cui multa sunt addenda, non est completum substantialiter, & integraliter in ratione primæ institutionis, nego: in alijs rationibus, concedo maiorem: concedo minorem; & nego consequentiam. Mundus die septimo fuit substantialiter, & integraliter completas in ratione primæ institutionis, at potuit, ac debuit completi in alijs rationibus. Mundus est substantialiter completus per hoc, quod habeat suas partes, & omnes species, quas exigit, vt possit conseruari, producendo plura individua, in quibus conseruentur species corruptibles: sed hoc totum obtinuit primis septem diebus: ergo. Licet ergo mundo addeatur quotidie noua individua, nouæ animalia rationales, nouæ species ex commixione secundum, tamè cum hæc omnia mundus virtualiter habuerit ab initio, ita vt deberent naturaliter oriri, non sequitur, quod mundus ab initio non fuerit substantialiter completus, & perfectus. Incarnatio Verbi, & alia opera supernaturalia non pertinet ad perfectionem naturalem, sed supernaturalem mundi, & ad opus redemptionis, ideoque etiam ante Incarnationem mundus erat substantialiter, & naturaliter perfectus. In fine mundi Deus mundum renouabit, & perficiet in ratione ultimi finis, hoc est glorificationis. Addit Sanctus Thomas in resp. ad 3. quod nihil postmodum à Deo factū est totaliter nouum, quod non aliqualiter in sex primis diebus præcesserit, & in hoc sensu explicat illud Ecclesiast. 1. nihil sub sole nouum. Nam enim praefuit in seculis, quæ fuerant ante nos.

13. Ad 4. respondet Sanctus Thomas qu. 73. art. 2. ad 2. non omnem quietem opponi mori, & labori, sed ad aliquod genus quietis sufficere, vt quis cesset ab aliquo opere: sed Deus die septima cessauit ab opere producendi in mundo nouas creaturem spectantes ad eius substantialē, & naturalem integratam, & quæ non continerent virtute in iam productis: ergo quietuit.

14. Ad 5. Christus dixit: Pater usque modo operatur, & ergo operor, non quia nouas creature condat, quæ non continentur virtualiter in conditis sex primis diebus, sed quia operatur, conseruando, & gubernando mundum conditum.

15. Ad 6. Deus benedicens diei septimæ,

dedit rebus iam productis bonum conseruationis, & propagationis. Rursus benedixit potius dei, in qua quietuit, quam diebus sex, quibus fuerat operatus, ad significandam quietem, quam daturus est iustis post operationes huius saeculi, futuram bonum incomparabiliter maius bonis huius saeculi.

QVAESTIO CCXXII.

Vtrum Deus creauerit, & ornauerit mundum sex diebus naturalibus, hoc est sex circulationibus primi mobilis, vel uno tantum momento, aut die naturali, ac sex diebus solidum spiritualibus, ac mysticis?

S. Tho. q. 74. art. 1. 2. 3.

1. **V**identur Deus mundum creasse, & ornasse vno tantum die, ino vno momento, & instanti, ac sex dies descriptos à Moysè non esse sex dies naturales, hoc est sex circulationes primi mobilis, sed sex dies spirituales, hoc est sex cognitiones Angelorum, quibus sex opera sunt intellectui Angelorum ordinatim proposita: primò quia Eccles. 18. de Deo dicitur: Qui vivit in æternum, creavit omnia simul; ergo non produxit successiū vnum post aliud, ita vt prima die naturali, hoc est prima circulatione primi mobilis, fecerit lucem; secunda firmamentum, tertia congregauerit aquas in vnum locum, hoc est in mare, ita vt apparuerit terra, in eaque produxerit herbas, & plantas: quarta fecerit luminaria, hoc est Solem, Lunam, & stellas, eaque posuerit in firmamento cœli; quinta fecerit pisces, & aves; sexta animalia, terrestria, & hominem; septima demùm quietuerit: ergo septem dies descripti à Moysè debent solum intelligi spiritualiter, ac mysticè.

2. Secundo, In principio, hoc est in primo instanti, & momento, creavit Deus cælum, & terram, vt dicitur initio Genes. sed Exodi 31. dicitur: sex diebus creavit Deus cælum, & terram: ergo primum illud instanti, & momentum diuiditur etiam in sex dies; sed non potest unicum instans, & momentum diuidi in sex dies naturales, siue in sex circulationes primi mobilis; ergo sex illi dies fuerunt dies spirituales, ac mysticas.

3. Tertio Moyses postquam cap. 1. descripsit opera facta sex diebus, cap. 2. significat illa fuisse facta vna die, dicens: Ista sunt generationes cœli, & terræ, in die, quo fecit Dominus cælum, & terram, & omne virgatum agri: ergo dies naturalis vna dividitur à Moysè in sex dies spirituales, ac mysticas.

4. Quarto Deus, cum in principio, hoc est primo instanti, vel momento creavit cœlum, creavit illud in suo statu naturali cum N n n n 2 om-

652 De sex diebus naturalibus, vel mysticis.

omnibus suis partibus, quas naturaliter exigit, non autem in statu miraculoso, & p̄ternaturali, vt s̄pē diximus cum Augustino: sed firmamentum cum Luminaribus, Sole nimirum, Luna, ac stellis, est pars naturalis, & præcipua cœli: ergo Deus creauit cœlum cum firmamento, & luminaribus, ac proinde cum firmamentum, & luminaria dicuntur producta fuisse die quarta, quarta illa dies non est quarta circulatio primi mobilis, sed est quarta in aliquo sensu spirituali, ac mystico. Idem dic de alijs diebus.

5. Quinto Dei perfecta sunt opera, vt dicitur Deuteronomio 4. ergo Deus ab initio creauit mundum perfectum, ac nulla afferetur conueniens ratio, propter quam creauerit imperfectum, ac sex diebus paulatim perfecerit.

6. Sexto si Deus distinctis sex diebus fecisset opera, quæ narrantur, vel illis faciendis insumpsiſſet totam diem, vel unam solam partem diei, alia autem parte cessaſſet ab opere; sed vtrumque videtur inconveniens: ergo Deus omnia ſimiliter fecit, ac sex dies sumendi sunt in sensu spirituali, ac mystico.

7. Respondeo, quod propter allata argumenta quidam Patres, & Scholastici opinati sunt Deum ab initio ſimiliter cuncta vno instanti creasse, & ornasse mundum, ac fecisse omnia, quæ Moyses accommodans ſe capui rudijs populi defcribit vt facta sex diebus: qui proinde non fuerint sex dies naturales facti ex sex circulationibus primi mobilis, sed sex dies spirituales, ac mystici. Hanc opinionem clarè docuit Philo lib. 1. Allegoriarum dicens. *Rufiana simplicitas est putare sex diebus, aut utique certò tempore mundum esse conditum: & infra: ergo cum audis: compleuit sexto die opera, intelligere non debes de diebus aliquor, sed de senario perfetto numero.* Vt autem docet Sanctus Thomas hac quæſt. 74. art. 1. ſenarius numerus est perfectus, quia conſurgit ex suis partibus aliquotis coniunctis, quæ quidem partes ſunt vnum, duo, & tria, ac ſimiliter ſumpta faciunt ſex. Partes autem aliquotæ ſunt, quæ finities ſumptæ conſtituent totum, eo paſto, quo vnum ſexies ſumptum conſtituit ſex, duo ter ſumpta conſtituent ſex, tria bis ſumpta conſtituent ſex. Eandem opinionem ſecutus est Clemens Alexandrinus lib. 8. Stromatum cap. vltimo, & Augustinus pluribus in locis infra referendis, ac propter Augustini reuerentiam Scholastici antiqui non omnino illam reieciunt, ſed veluti problematicè defendant, licet contraria ut communiorē Patrum præferre videantur. Sunt autem tales Scholastici Sanctus Thomas 1. par. quæſt. 66. & teq[ue]n, & præfertum hac quæſtione 74. & de Potentia quæſt. 4. art. 1. & 2. Alensis 2. par. quæſt. 44. Memb. 3. & quæſt. 46. per totam. Albertus autem in 2. diſt. 12. art. 1. in opinionem Augustini magis inclinat, camque latius defendit in ſumma de quatuor coeūs. Contentiunt Eugubinus, & Cajetanus in Genesim, & Melchior Canus relatus à Molina?

8. Duo ſunt modi exponendi, quo paſto opera, quæ facta ſunt vnicō die, imo vnicō momento, & instanti, dicantur eſſe facta ſex diebus. Primus eſt Augustini, vt explicauimus quæſt. 164. luxa hunc modum quia creatio mundi innouuit Angelis, cognitio autem Angelica proper suam claritatem eſt quedam lux spiritualis, & quædam dies, dicitur mundus factus in die spirituali, & Angelica. Quia rurſus Angelis innoverunt ſex genera rerum productarum, poſſunt in cognitione Angelica diſtingui ſex dies ſpirituales. Prima dies eſt cognitionis, qua Angelis innouuit Deum dixiſſe, fuit lux, & factum eſſe lucem: eamque diuidit a tenebris. Secunda dies eſt cognitionis, qua Angelis innouuit Deum dixiſſe: fuit firmamentum in medio aquarum, & diuidit aquas ab aquis, & factum eſſe ita, & firmamentum vocatum cœlum. Tertia dies eſt cognitionis, qua Angelis innouuit Deum dixiſſe: Congregentur aquæ, quæ ſub calo ſunt, in unum locum, & appetat arida, & factum eſſe ita, ac aridam vocatam finitæ terram congregationem autem aquarum appellatam maria. Ad eandem tertiam diem ſpectat cognitionis, qua angelis innouuit Deum dixiſſe, germinet terra herbae viuentem, & facientem ſemen, & lignum fructiferum faciens fructum &c. & factum eſſe ita. Quarta dies eſt cognitionis, qua Angelo innouuit Deum dixiſſe: fiant lumenaria in firmamento cœli &c. & factum eſſe ita. Quinta dies eſt, qua angelis innouuit Deum dixiſſe, producant aquæ reptile anima viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli, & factum eſſe ita. Sexta demum dies eſt cognitionis, qua Angelis innouuit Deum dixiſſe: producat terra anima viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & bestias terra ſecundum genus ſuum, & factum eſſe ita. Ad eandem textam diem ſpectat cognitionis, qua Angelis innouuit Deum dixiſſe faciamus hominem &c. & hominem creasse. Ulta hos ſex dies creationis mundi potest conſiderari leptima dies, hoc eſt cognitionis, qua Angelis innouuit Deum compleuiſte opus, quod fecerat, & requiuifle, ac ceſſaſſe ab omni opere, quod patraraſt.

9. Tertio in singulis his ſex diebus conſiderat Augustinus manę, & veſperam, ſeu cognitionem matutinam, & veſpertinam. Et quia manę eſt principium dieti, veſper autem eſt diel terminus, ideo manę, ſeu cognitionem matutinam eſt, qua Angelis cognoscit res ut existentes in Verbo, & in eſſentia diuina, tanquam in principio creationis, veſper autem, ſeu cognitionem veſpertinam eſt cognitionis, qua Angelis cognoscit res ut exilantes in ſe ipſis, tanquam in termino creationis: & quia cognitionis, qua angeli cognoscunt res creatas in ſuis propriis naturis, eſt minus clara, quam cognitionis, qua res cognoscunt in Verbo, & in eſſentia diuina per visionem beatificam, ideo illa comparatur ad illam, ſicut manę clariſſimum ad veſperam habentem minorem claritatem, & aliquid obscuritatis. Propterea ipſem Augustinus lib. 4. de Genesi ad litt. tam

ram cap. 23. dicit: *Multum interest inter cognitionem rei cuiuscumque in Verbo Dei, & cognitionem eius in natura eius, ut illud merito pertineat ad manum, hoc ad vesperam.*

10. Tradit hanc explicationem sex dierum Augustinus lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 22. & sequentibus, lib. 5. & 11. de Ciuit. cap. 7. & 29. & pluribus alijs locis. Licet tamen videatur inclinare in hanc opinionem, quæ dicit mundum creatum sex diebus, non naturalibus, sed spiritualibus, tamè illi non omnino adhæret. Lib. enim 11. de Ciuit. cap. 6. dicit. *Qui dies cuiusmodi sint, aut per difficile nobis, aut impossibile est cogitare, quanto magis dicere.* Et lib. imperfecto de Genes. ad litt. cap. 1. initio, præmitit se de his agere, non affirmando, sed querendo, dicens. *De obelvis naturalium rerum, qua omnipotenti Deo artifice facta sunt, non affirmando, sed querendo tractandum est, ac mox confessionem fidei præmittrit, ne aliqui erroris contra fidem argui posset, ac post professionem fidei initio cap. 2. dicit.* Secundum hanc fidem, quæ possunt in hoc libro queri, & disputari, haec sunt, & cap. 20. eiusdem libri dicit. *Librum geneseos multipliciter quantum potui, encleani, protulique sententias de verbis ad exercitacionem nostram obscurè positis, non aliquid unum temere affirmans, cum preiudicio alcivius expositionis farasse melioris, ut pro modulo suo eligat quisque quod capere possit, ubi autem quid intelligere non potest, Scriptura dei honoris, sibi timore.*

11. Secundus modus explicandi est Caetani in cap. 1. Gen. in explicatione prime diei in fine, & initio c. 2. qui licet fateatur Moysem locutum fuisse de die naturali, nihilominus docet opera descripta initio geneseos facta esse, non sex diebus naturalibus, sicut verba sonante videtur, sed vñica die, immo uno momento, & instanti, dici autem facta sex diebus, quia si sex diebus fuerint, ita essent distribuenda. Melchior Canus, vt refert Molina apud Suar. lib. 1. de opere sex dierum, cap. 1. num 2. in alijs conuenit cum Caetano, ac differt in hoc, quod Caetanus illa vñica die censem omnia fuisse facta simul; Canus autem existimat multa non fuisse facta simul cum elementis, sed post, cum manifeste narrerent facta ex materia præexistente. Dam autem queritur, in quo vero sensu Moyses potuerit dicere, facta esse sex diebus, quæ facta sunt vñica die, responder aliquando Scripturam vti verbis absolutis pro conditionatis ad significandam propositionem conditionatam. Probat exemplis. Nam psalm. 101. de cœlis dicitur: *ipsi peribunt, tu autem permanebis, ac sensus est pure conditionatus: etiam si ipsi percant, tu permanebis.* Matth. 24. dum Christus dicit: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, sensus est etiam si cœlum, & terra transirent, verba mea non præteribunt.* In simili sensu Aristoteles, qui existimauit motum cœli fuisse ab æterno, ac non incepisse, dum lib. 1. de cœlo, cap. 2. dixit, motum cœli inciperere ab oriente, significauit,

quod si incepisset ab oriente debuisset incipere: ergo non est mirum, quod Moyses dixerit mundum conditum fuisse sex diebus in sensu conditionato, ad significandum, quod si sex diebus conditus fuisse, sic opera debuissent ordinari.

13. Secunda sententia communis Theologorum, & Patrum, excepto Augustino, docet opera narrata à Moysi facta fuisse non simul, sed successiue, ac sex diebus, non pure spiritualibus, sed materialibus, ac naturalibus, ac consilientibus in sex circulationibus primi mobilis. Tradunt hanc sententiam Basilius, & Ambrosius in Hexameron, Chrysostomus, Beda, Strabus, & Rupertus in Genesim, ac recentiores Scripturæ interpres penè omnes. Scholastici etiam cum Magistro in 2. dist. 12. & cum Sancto Thomas quæst. 74. art. 2. hanc opinionem magis probant.

14. Probatur: nam cum narratio Moysis sit historica, debet intelligi ut verba sonant: ergo cum dicit absolute, *Factumque est vesper, & mane dies secundus, dies tertius;* debent intelligi sex dies naturales, cum vespere, & mane naturalibus. Confirmatur: nam si simul omnia in principio eodem momento, ac instanti fuissent creata, etiam primi homines in principio fuissent creati, sed hoc videtur Scripturæ repugnare: ergo. Probatur minor: nam cap. 2. Genes. postquam Moyses dixit, quod Deus fecerat omne virgulum agri, subdit. Non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram: ergo erat virgulum agri, & tamen homo nondum fuerat productus. Eodem cap. dicitur: *Formatus igitur Deus hominem de limo terra, & paulo post:* Formatus igitur de humo cunctis animalibus terra: sed hec significant hominem, & animalia fuisse formata ex materia præexistente: ergo homines, & animalia non sunt producta simul in eodem momento, & instanti cum cœlo, ac terra. A fortiori mulier est formata post virum. Dicitur enim eodem cap. 2. *Ade autem non inueniebatur adiutor similis eius.* Immissit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius &c. quæ manifeste significant iuccisionem temporis, ac Euam formaram fuisse post Adamam. Videri potest Suarius lib. 1. de opere sex dierum, cap. 10. 11. & 12. vbi fuse disputat de hoc puncto.

15. Ad 1. Ex Ecclesiast. 18. vbi de Deo dicitur: *creavit omnia simul, responderet Sanctus Thomas hac quæst. 74. ad 2. Quod Deus creavit omnia simul, quantum ad rerum substantiam quodammodo informem, sed quantum ad formationem, quæ facta est per distinctionem, & ornatum, non simul.* Vnde signanter vtitur verbo creationis. Deus igitur omnia, quæ propriè creavit ex nihilo, nimirum Angelos, cœlum, elementa, creavit simul: alia quæ fecit, & formauit, non ex nihilo, sed ex præcedenti materia, vel saltē in materia præsupposita, vt animam rationalem

654 De sex diebus naturalibus, vel mysticis.

lem, non fecit simili, sed successivè sex diebus. Suarius lib. 1. de opere sex dierum, cap. 10. num. 22. addit dici etiam posse, quod ly simili non significat simultatem temporis, sed communitatem sine exceptione, ita ut sensus sit: Deus creauit omnia sine exceptione.

16. Ad 2. Chrysostomus Homil. 3. in Genet. dicit Moysem per illa verba, *in principio creauit Deus cælum, & terram, summatim narrare omnia opera, quæ deinde particulatim describit facta esti sex diebus.* Iuxta hanc explicationem dum dicitur, *In principio creauit Deus cælum, & terram, per cœlum, & terram intelligitur tota rerum vniuersitas facta, & ordinata sex diebus:* per ly *in principio* non significatur solum instans indiuisibile, sed totum tempus, quo mundus est conditus, & ordinatus per partes sex diebus, vt Moyses verbis sequentibus exponit. Hoc autem principium diuisibile Deuteronom. 121, vocatur sex dies per illa verba: *sex diebus creauit Deus cælum, & terram.* Iuxta communiorum, & nostram sententiam, qua docet per ly *in principio* significari primum instans indiuisibile temporis, dicendum, quod verbum creandi in Scriptura sumitur multipliciter, aliquando ad significandam propriam creationem eorum, quæ sunt omnino ex nihilo, aliquando ad significandam productionem etiam eorum, quæ sunt ex materia præexistente. Dum igitur Gen. 1. dicitur, *creauit Deus cælum, & terram,* ly *creauit* sumitur strictè, ad significandam propriam creationem, ac nomine cœli, ac terræ intelligitur vniuersitas rerum propriæ creatarum ex nihilo. Dum autem Deuteronom. 31 dicitur: *sex diebus creauit Deus cælum, & terram,* ly *creauit*, sumitur latius, in quantum significat productionem rerum, seu sunt facta ex nihilo, seu sunt facta ex materia præsupposita, ac per ly *cælum, & terram* intelligitur vniuersitas rerum, quæ sex primis diebus fuit producta, ordinata, & perfecta.

17. Ad 3. Respondebat Sanctus Thomas hac questione 74. art. 2. ad 1. *Quod in die, quo creauit Deus cælum, & terram, creauit etiam omne virgultum, non in actu, sed antequam ortretur super terram, id est potentialiter, in quantum continetur in suis causis prima die productis: tertia deinde die produxit secundum suum esse formale, & actuale.* Secundo responderi potest, quod in secunda parte periodi intelligitur repeti ly *in die*, ac sensus est: *Ista sunt generationes cœli, & terra, quando creata sunt in die, quo fecit Deus cælum, & terram, & in die, quo fecit omne virgultum agri &c.* In prima ergo parte periodi ly *in die* iuxta ea, quæ Moyses ante narrauerat, sumitur pro die prima, in secunda parte periodi sumitur pro die tertia.

18. Ad 4. Sicut non est miraculum, neque contra naturam hominis, qui vocatur macrocosmus, hoc est parvus mundus, ut producatur in statu imperfecto, ac deinde perficiatur, sic non fuit miraculosum, neque con-

tra naturam mundi magni, qui vocatur microcosmus, ut prius produceretur in statu imperfecto, deinde perficeretur. Firmamentum igitur, & luminaria primo die fuerunt producta secundum substantiam, sed accidentaliter informia: sequentibus diebus fuerunt formata, & ordinata, ut explicatum est: neque hic modus operandi fuit miraculosus, vel contra naturam mundi.

19. Ad 5. Dei perfecta sunt opera, ut dicitur Deuteronom. 4. ideoque Deus fecit mundum perfectum. Fuit tamè conueniens, ut Deus in primo instanti non perficeret mundum, non ex defectu potentie, siquidem in instanti pottisset mundum perficere, sed ut in eo perficiendo seruaret quemdam ordinem. Hac ratio defumpta est ex Ambrosio, qui lib. 2. de Cain, & Abel, cap. 6. dicit. *Vtique simil omnia fieri iubere posuit Deus. Sed distinctionem seruare maluit, quam nos in omnibus negotiis imitaremur.* Similem rationem assert lib. 1. Hexameron, cap. 8. ac plures alias rationes assert Chrysostomus Homil. 3. in Gen. Nazianzenus orat. 43. in nouam Dominicam, & Nicetas ibi.

20. Ad 6. Probabile est, quod Deus operibus singulorum dierum non insupererit totam diem, sed illa perficerit in instanti, vel quæ fecit cum aliquo motu locali, fecerit breuissimo tempore. Pleraque porrò opera videntur facta non sine motu locali: e. g. congregatio aquæ in unum locum facta est non sine motu locali aquarum: plantæ, animalia &c. facta sunt non sine motu locali materiae: firmamentum, & luminaria, & eorum collocatio in firmamento cœli videntur facta, mouendo localiter materiam, illam condensando &c. Perfecto autem quolibet opere, reliqua parte diei Deus cessavit, ac aliud opus distulit in alium diē, non quia indigeret tempore ad operandum, sed ut ordo seruaretur in prima rerum institutione, ut loquitur Sanctus Thomas hac quest. 74. art. 2. ad 4.

TRACTATVS XV.

De Anima hominis, eiusque creatione.

RÆCIPVVM opus sex dierum fuit homo, ad quem tanquam ad finem ordinata sunt cetera opera sex dierum. Ideo S. Thomas postquam decem questionibus breuiter egit de alijs operibus sex dierum, fusius viginti, & oculo questionibus sequentibus dilputat de homine. Et quia homo constat ex anima rationali, & corpore, à quest. 75. vñque ad 90. questionibus sexdecim agit de anima præsertim rationali, cuiusque creatione; à questione 91. vñque ad 102. dispu-